





Laurentius Muntaner f.

BEATI

RAYMUNDI

LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS.

LIBER

MAGNUS CONTEMPLATIONIS
in Deum.

JVXTA MOGVNTINAM EDITIONEM
in folio Anni MDCCXL.

IN VARIOS TOMOS DISTRIBVTUS.
Tomus I.

PALMÆ MAJORICARUM
anno MDCCXLVI.

Superiorum permissu.

Typis Petri Antonij Capò , & Michaelis
Amoròs Typogr.

B. E. A. T. I.

L. V. L. L. L.

DOCTORIS ILLUMINATI

MARTYRIS

L. I. B. E. R.

MAGNUS CONSTITUTIONIS

in Deum

IUXTA MODERNAM EDITIONEM

ANNO MDCCLXXI

IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS

Tomus I.

TALIS E. MALO RIGARUM

ANNO MDCCLXXI

Typis B... ..

Amsterdam...



CENSURA

ET

APPROBATIO

ARCHI-EPISCOPALIS MOGUNTINI
CENSORIS LIBRORUM ORDI-
NARII.



Eatus RAYMVN-
DVS LVLLVS Doc-
tor Illuminatus & Mar-
tyr librorum millibus
sexcentisque aliis me-
diante Organo univer-

ſalis Scientiæ compositis parum ſe fe-
ciſſe arbitrabatur niſi, & Librum Con-

tem-

templationis finem operum & laborum suorum componeret, eò collimantem, ut homo ex visibilibus invisibilia DEI conspiciat, recolat ac magis intimo voluntatis affectu, quantum in hac vita mortali fieri poterit, uniatur suo, ad quem conditus est, fini ultimato. Differt hic Liber artificiali methodo ab aliis Operibus Beati Authoris, in quibus profundissimo sed abstrusissimo, incomparabili tamen ac mirando, artificio Analytica & Synthetica tum universalis tum particularium Scientiarum principia traduntur; hic verò Liber Contemplationis stylo plano ac simplici procedit, & in eo mens humana primum per valles humillimorum principiorum Trivii & Quadrivii antiquorum Sapientum, dein supra montes aliarum subli-

sublimium Scientiarum & apicem
universalis Scientiæ eluctata in subli-
mi constituta facili & vago oculo pla-
cidoque obtutu DEVM & creaturas
contemplatur. Magnus est hic Liber
Contemplationis in duos etiam tomos
maiores digestus, dum non relinquit
DEI dignitatem aliquam aut creatu-
ræ proprietatem, hominis præcipuè
eum Microcosmi, quam menti huma-
næ non objectet quasi in Speculo; in
eo proinde omnes DEI Dignitates tū
absolutas tum relativas tam intra quã
extra creaturis, homini potissimum,
impressas; in eo Bonitatem, Magni-
tudinem, Durationem, Potestatem,
Sapientiam, Voluntatem, Virtutem,
Veritatem, Gloriam, Justitiam, Lar-
gitem, Misericordiam, Humilita-
tem, Dominium, & Patientiam:

Diffe-

Differentiam, Concordantiam, Contrarietatem, Principium, Medium, Finem, Majoritatem, Æqualitatem, & Minoritatem, Dispositionem, Ordinationem, Proportionem, & Perfectionem visibilium & invisibilium, corporalium & spiritualium, sensualium & intellectualium in suis essentiis, naturis, proprietatibus, & operationibus contemplationi objicit ac repræsentat; adeò ut in universo nulla relinquatur vacuitas, virtute hujus contemplationis omnes ejus essendi extremitates ambiente. De cujus Libri Censura dum hìc agitur: nedum est quidquam, quod illum à prelo publico arceat ceu ab integritate morum aut puritate Fidei alienum, quin potiùs lineas morales ad supremam perfectionis metam ultra transcendit,

&

& Fidem sublimioribus exaltat Ra-
tionibus, ut non dubitet submitti su-
premæ Censuræ Apostolicæ, quid ?
quod etiam consecrari S V M M O
CHRISTI IN TERRIS VICARIO
SANCTISSIMO DOMINO NOS-
TRO BENEDICTO XIV. PONTI-
FICI MAXIMO, quem Christus Sal-
vator noster Auctor omnis vitæ diu
Ecclesiæ suæ fervet incolumem. Da-
bam Moguntiaë 5. Augusti anno mil-
lesimo septingentesimo quadragesi-
mo primo.

Philippus Franciscus Jæger, V. J. Doctor,
Eminentissimi ac Celsissimi Archi-Epis-
copi & Principis Electoris Moguntini Con-
siliarius Ecclesiasticus, & Fiscalis Major,
Insignium Collegiatarum S. Petri & S.
Joannis Moguntiaë, ac SS. Petri & Ale-
xandri Aschaffenburgi Canonicus Capi-
tularis & respectivé Decanus, Librorum
Censor Ordinarius.

Palmae Majoricarum 27. Octobris
anni 1746.

Imprimatur.
Salvador. Vic. Gen. & Offi.

Imprimatur.
Sierra. Reg.



INSTRUMENTVM SENTENTIÆ

Rescindentis attentata per quoscum-
que, Auctoritate cujusdam assertæ
Bullæ Gregorii XI. contra Doctri-
nam COELITVS ILLVSTRATI
Doctoris RAYMVNDI LVLLI,
pii Eremitæ: eundem verò Ray-
mundum, ejusque doctrinam, ut
bonam, & Catholicam, in pristi-
num statum vindicantis.



Hoc est transumptum,
& in hanc publicam
formam, publicum-
que exemplum redac-
tum, Auctoritate ac
Mandato Reverendi
Domini Vicarii Generalis, Reveren-
dis-

disissimi Domini Majoricensis Episcopi
infra scripti, à quodam publico Docu-
mento, prout inferiùs constat, legi-
timo, ac publico Tabellione clauso,
quodamque oblongo sigillo appendi-
ticio communito; Cujus tenor talis est.

„**B**ernardus Miseratione Divina,
„Episcopus Civitatis Castelli, Cõ-
„missarius ad infra scripta, per Reverẽ-
„disimum in Christo Patrem & Do-
„minum D. Alamanum, Miseratione
„divina Cardinalem, & Legatum in-
„fra scriptum deputatus. Univerfis, &
„singulis Christi fidelibus, ad quem,
„vel ad quos, præsentem pervenerint:
„Salutem in Domino Jesu Christo.
„Literas pergameneas præfati Reve-
„rendissimi Domini Legati, ejus sigil-
„lo pendentem in quibusdam cordoni-
„bus de filo rubeo sigillatas, sanas, &

„in-

„integras, non vitiatas, non cancel-
„latas, nec in aliqua sui parte suspec-
„tas, sed omni prorsus vitio, & suspi-
„cione carentes, Commissionē de, &
„super infra scriptis nobis factam con-
„tinentes, nobisque pro parte honora-
„bilibus consanguineorum, & ami-
„corum quondam Magistri Raymun-
„di Lullii in eisdem literis nominati,
„præsentatas. Nos cum ea, qua decuit
„reverentia, recepisse noveritis, sub
„hac forma.

A *Lamanus Miseratione Divina, ti-
tuli sancti Eusebii, sacrosanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, in
Arragonia, Valentia, & Navarra Reg-
nis, ac Majoricarum & Minoricarum in-
sulis, in nonnullis aliis partibus, & terris
Apostolicæ Sedis Legatus: Reverendo in
Christo Patri Domino Episcopo Civitatis
Castelli,*

ris contentorum, procedere cura-
remus, juxta traditam, seu direc-
tam, à præfato Reverendissimo Do-
mino Legato, in præinfertis literis,
nobis formam: Et ad fundandam
eorum intentionem dixerunt, pro-
posuerunt, & produxerunt dicti Con-
sanguinei & Amici per ordinem,
quæ sequuntur.

*Et primò, quòd dicta asserta Bulla
erat exorbitans à jure, atque etiam à
stilo Curia Romanæ: & signanter vi-
debat in hoc, quòd viginti libri, in qui-
bus asseritur, quòd fuerunt inventi du-
centi Articuli erronei, & hereticales, non
nominantur in dicta asserta Bulla.*

*2. Quòd dicti Articuli asserti erronei
& hereticales in ipsa non inferuntur:
nec aliqualis mentio de eorū sententia ibi
videtur: sed generaliter & confuse per-
transit.*

3. Quòd

3. *Quòd in ipsa dicta Bulla erat falsa latinitas, quæ vitiat Rescriptum Papale.*

4. *Quòd dicta Bulla non erat registrata, nec consequenter reperta in Registris Curix Romanæ, in quibus Documentorum Papalium Originalia recon-
duntur.*

Ad quorum omnium prædictorū probationem, & ostensionem probabilem produxerunt in sua propria forma quoddam publicum Instrumentum actum Avinione, Per Dominum Cardinalem, in ipso Instrumento nominato, Judicem & Commissarium per Sedem Apostolicam deputatum in quadam causa &c., occasione cujus de dicto Instrumento conficiendo fuit facta instantia coram ipso: in quo Instrumento, eo quia in ipso de verbo ad verbum est dicta Bulla inserta, affir-
ma-

marunt prædicti parentes, & amici,
omnia supradicta clarè & lucidè posse
aspici, & videri: quod quidem Instru-
mentum est hujusmodi seriei.

In nomine Domini Amen. No-
verint universi, præsens publicum
Instrumentum inspecturi: quòd co-
ram Reverendissimo in Christo Pa-
tre & Domino D. Leonardo, Mife-
ratione Divina tituli sancti Sixti Pres-
bytero Cardinali Judice, & Commis-
sario per Sanctam Sedem Apostoli-
cam specialiter deputato personali-
ter constitutus, discretus vir Antoni-
us Riera Clericus, Valètinensis Diocè-
cesis, Baccalaureus in legibus princi-
palis citra tamen procuratoris sui re-
vocationem in quadam causa, seu
causis, quæ vertitur, vertuntur, seu
verti & esse sperantur, inter dictum

Anto-

„Antonium principalem ex una par-
„te, & Religiosum virum fratrem
„Nicolaum Eimerici, hereticæ pra-
„vitatis in Regno Aragoniæ Inqui-
„sitorem, de & super nonnullis Ar-
„ticolis Fidem tangentibus, & ipso-
„rum occasione parte ex altera. In
„qua ad nonnullos actus etiam co-
„ram eodem Domino Cardinali Ju-
„dice, & Commissario, citra tamen
„conclusionem, inter dictas partes
„extitit processum, & tandem copi-
„am sive schedulam cujusdam Literæ
„Apostolicæ, per foelicis Recordatio-
„nis Dominum Gregorium Papam
„undecimum (ut idem Antonius asse-
„ruit) factæ, eidem Domino Cardi-
„nali tradidit, atque dedit, cujus te-
„nor sequitur, & est talis.

§

GRE-

GREGORIUS Episcopus Servus ser-
vorum Dei Venerabilibus fratribus
Archi-Episcopo Tarraconensi ejusque Suf-
fraganeis, Salutem & Apostolicam Be-
nedictionem.

Conservationi puritatis Catholice Fi-
dei, quam multi nequam & scelerati,
suis falsis assertionibus maculare niten-
tes, inter triticum purum agri Dominici
pestiferum semen Zizaniæ seminant, cum
ad nostrum præcipuè spectet officium, ut
evellamus prava, & destruamus perver-
sa, providere salubriter, & animarum
illaqueationibus obviare confestim, ple-
nis desideriis affectantes, opportuna in
his, quæ possumus, remedia studio Pasto-
ralis sollicitudinis adhibemus.

Dudum siquidem dilectus Filius Ni-
colaus Eimerici, Ordinis Fratrum Præ-
dicatorum Professor, in Sacra Theologia

Ma-

Magister, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Majoricarum Inquisitor Hæreticæ pravitatis, nobis exposuit, se in regnis eisdem invenisse viginti volumina diversorum Librorum in vulgari scriptorum à quodam Raymundo Lullio cive Majoricarum editorum, in quibus (ut ipsi Inquisitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreses manifestæ, & quòd nonnulli de prædictis & aliis regnis, Libris utebantur eisdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam in grande suarum periculum animarum, supplicavitque nobis Inquisitor ipse, ut, ne simplices deciperentur ex Libris ipsis, dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere.

Nos autem cupientes animarum jam forsitan imbutarum, & quæ imbui possent, ex perverso dogmate dictorum Librorum

brorum periculis celeriter obviare, dictos Libros per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Hostiensem, & per quamplures etiam ultra vigenum numerum in eadem Theologia Magistros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, quod ipsi dictos Libros omnes cum multa diligentia legerant & examinaverant, & quod ultra ducentos Articulos erroneos & hereticos invenerant in eisdem. Super quibus inter eosdem, Episcopum & Magistros sæpius, & demùm coram nobis habita Disputatione solemni, ipsos Articulos (quos ad vitandum prolixitatis tedium, & horribilitatem eorum, haberi volumus presentibus, pro expressis) erroneos, & manifestè hereticos, de dictorum Episcopi & Magistrorum concordii consilio, sensimus reputandos.

Cùm autem, sicut Inquisitoris præfati
continebat assertio, in prædictis Regnis
alii Libri, qui asseruntur editi à jam
dicto Raymundo, reperiri dicantur, in
quibus hujusmodi jam reperti, & alii
errores & hæreses creduntur probabili-
ter contineri.

Nos volentes de hujusmodi aliis Li-
bris, & eorum doctrina, informari ple-
nariè, & super eis providere salubriter,
ne fideles in errores hujusmodi damna-
biliter prolabantur: Fraternalitati vestræ,
de Fratrum nostrorum consilio, per Aposto-
lica scripta.

Committimus & mandamus, qua-
tenus diebus Dominicis & festivis in sin-
gulis vestris Ecclesiis Cathedralibus, ac
Curatis, nec non Religiosorum quorum-
cumque Ordinum exemptorum, & non
exemptorum, etiam Cisterciën. Carthu-
sien.

sien. & Cluniacen. Præmonstraten. Grandimonten. Sanctorum Benedicti & Augustini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum ejusdem sancti Augustini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum, vestrarum Civitatum & Diæcesum, intra Missarum solemnia existentibus populis ad divina, & in prædicationibus, per vos vel alios, quàm citò commodè poteritis, faciatis proponi, quòd omnes & singulæ personæ utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existant earundem vestrarum Civitatum, & Diæcesum, seu commorantes in eis, habentes Libros quoscumque à præfato Raymundo editos, (ut præfertur) ipsos infrà unius mensis spatium vobis assignare, & illi, qui sciunt alias personas Libros eosdem habentes, eas vobis revelare, & nominare procurant.

rent. Vosque Libros recipi faciatis eosdem, quos cum habueritis, quam citò poteritis, curetis nobis fideliter destinare: ut ipsos simili examini subicere valeamus.

Ceterum, quia doctrina, seu potius dogmatizatio prædictorum Librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis & periculosa nimium animabus, & vehemens suspicio est habenda, quòd in aliis Libris editis à dicto Raymundo, similes, vel alii (ut præfertur) contineantur errores.

Vobis mandamus, quòd omnibus & singulis eisdem personis vestrarum Civitatum & Diœcesum doctrinam, seu potius dogmatizationem, & usum hujusmodi Librorum interdicare studeatis. Donec super his, per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores

per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus, si aliquibus communiter, vel divisim à Sede Apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extrà, vel ultrà loca certa ad iudicium vocari non possint, per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibuslibet exemptionibus, ac aliis Privilegiis, & Literis Apostolicis quibuscumque locis, personis, vel ordinibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum ab eadem Sede concessis. De quibus eorumque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum in nostris Literis mentio sit habenda, & per quæ præsentis Mandati nostri effectus valeat quomodolibet impediri. Insuper volumus, quòd per te

Frater Archi-Episcopo, tenor presentium, sub tuo, vel Officialis tui Sigillo, ad tuos Fratres Suffraganeos transmittatur; cui per vos adhiberi volumus, velut ipsis Originalibus, plenam fidem.
Datum Avinione 8. Calendas Februarii, Pontificatus nostri Anno sexto.

Qua siquidem copia sive schedula, per dictum Antonium Domino Cardinali memorato tradita, idem Antonius ipsum Dominum Cardinalem instanter requisivit, quatenus venerabilibus Viris Literarum Apostolicarum Registratoribus, per suas literas scriberet, eisque nihilominus, Auctoritate Apostolica sibi in hac parte commissa, præciperet & mandaret, ut literas in dicta schedula contentas in Registris eis commissis diligenter perquirerent, & si eas repererint,

pererint, sumptum, sive transump-
tum earundem clausum & sigilla-
tum, prout moris est in talibus fieri,
ac ita & taliter, quòd eis fides adhi-
beri valeret, præfato Domino Car-
dinali transmitteretur, expensis mo-
deratis dicti Antonii, ut ipso medi-
ante posset & valeret partibus su-
pradictis debitum justitiæ adminis-
trare; quoniam præfatus Antonius
pro sui Juris fundamento sumptum
prædictarum literarum coram dicto
Domino Cardinali (ut asseruit) pro-
ducere intendebat.

Qui quidem Dominus Cardinalis
Judex & Commissarius attendens,
quòd justa petentibus non esset de-
negandus assensus, supradictarum Li-
terarum Apostolicarum Registrato-
ribus, modo & forma per dictum

Anto-

Antonium superiùs petitis, per suas literas Auctoritate Apostolica scripsit & mandavit, ipsasque per Porterium & Nuntium suum juratum eisdem Registratoribus præsentari fecit. Qui Porterius postmodùm Domino Cardinali Judici, & Commissario memorato, ac mihi Notario infra scripto retulit, qualiter dicti Domini Literarum Apostolicarum Registratores in Registris eis commissis Anno sexti præfatae foelicis Recordationis Domini Gregorii Papæ XI. diligenter perquisiverunt, & facta diligenti perquisitione eidem Porterio (ut asseruit) dixerunt, quòd in eisdem Registris literas in supra scripta papyri scheda contentas non repererunt registratas.

Subsequenter autem venerabilis

Vir

Vir Dominus Joannes à Bonis unus de Literarum Apostolicarum Registratoribus in mei Notarii prædicti, & testium fide dignorum præsentia, Domino Cardinali Judici, & Commissario præfato retulit, & dixit, quòd dictam schedulam in Registro sibi commisso, *Anni sexti dicti Domini Gregorii*, per suos Clericos, non solum semel, sed pluries diligenter perquiri fecit, & quòd *literæ* in sæpè dicta schedula contentæ *in suo Registro non fuerunt, neque erant registratæ.*

Deinde præfatus Porterius & Nuntius juratus literas dicti Domini Cardinalis una cum schedula, sive copia præinserta prædicto Domino Cardinali reportavit, & mihi Notario infra scripto retulit, & dixit, quòd venerabiles Viri, Domini Bernardus

Fortis, alter de Literarum Apostolicarum Registratoribus, & Joannes Ludovici Camerae Apostolicae Notarius, in dorso dictae schedulae sive copiae per ipsum (ut praemittitur) reportatae, & (ut praefertur) preinsertae, scripserunt in hunc modum, ut sequitur.

„Notum sit omnibus, quòd ego
„Bernardus Fortis Literarum Aposto-
„licarum Registrator, *perquisivi dili-*
„*genter Registrum*, mihi commissum
„Anni sexti sanctae Memoriae Domi-
„ni Gregorii Papae XI. & quòd in eo-
„dem Registro *litteras* in praesenti
„*schedula papyri annotatas, non repe-*
„*rio registratas*. In cujus rei testimo-
„nium, hìc manu propria subscripsi
„& signavi. *Die 9. Julii*, Anno à Na-
„tivityate Domini *millesimo trecentesi-*

„*mo nonagesimo quinto.* Bernardus For-
„tis Registrator.

„Notum sit omnibus, quòd ego
„Joannes Ludovici Camerae Apof-
„tolicæ Notarius, perquisivi *diligen-*
„*ter Registrum* Literarum Apostoli-
„carum, eandem Cameram tangen-
„tium Anni sexti Pontificatus sanctæ
„Memoriæ *Domini Gregorii Papæ XI.*
„& quòd in eodem Registro *Literas*
„in præfenti scheda papyri annota-
„tas, *non reperio registratas.* In cujus
„rei testimonium, hìc manu propria
„me subscripsi & signavi. *Die 9. Julii,*
„Anno à Nativitate Domini, *millesi-*
„*mo trecentesimo nonagesimo quinto.*
„Joannes Ludovici.

Tandem die & hora infra scriptis
coram Domino Cardinali Judice, &
Commissario præfato, in meique No-
tarii

tarii publici, & testium infra-scriptorum, ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, personaliter constitutus prædictus *Antonius Riera*, citra tamen Procuratoris sui revocationem, & de præmissis omnibus, & singulis mandato, relationibus, & aliis supra-scriptis & designatis à tempore traditionis dictæ præinfertæ schedulæ, & citra factis, petiit sibi fieri unum vel plura, publicum, seu publica, Instrumentum, seu Instrumenta per me Notarium publicum infra-scriptum.

Acta fuerunt hæc Avinione in domo habitationis dicti Domini Cardinalis, hora nona, vel quasi, sub Anno à Nativitate Domini, *millesimo trecentesimo nonagesimo quinto* indictione tertia, die Sabbati 10. Mensis Ju-

lii,

lii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri *D. Benedicti* Divina Providentia Papæ XIII. Anno primo, præsentibus ibidem Venerabilibus Viris Dominis, Durando Tonduci in Decretis Licentiato, dicti Domini Cardinalis Camerario, ac Magistro Dominico Pavardi, in utroque Jure Baccalaureo, hac in Romana Curia Procuratore, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

„Et ego Thoyco Rodulphi de
„Camicavilla Clericus Tarraconensis
„Diœcesis, publicus Imperiali Auctoritate Not. ac præfati Reverendissimi in Christo Patris, & Domini
„Cardinalis Judicis, & Commissarii,
„& causæ hujusmodi coram eo Scriba, præmissis omnibus & singulis,
„dum

„dum sic (ut præmittitur) ageren-
„tur, & fierent unà cum prænomi-
„natis testibus præsens interfui, ea-
„que sic fieri vidi, & audivi; ideoque
„hoc præsens publicum Instrumen-
„tum, per alium, me aliis occupato
„negotiis, scriptum, in hanc publi-
„cam formam redegei; hìcque manu
„propria subscripsi, & signo meo so-
„lito & consueto, signavi rogatus &
„requisitus; in fidem & testimonium
„omnium & singulorum præmissio-
„rum.

Item ad probandum *Subreptionem*
prædictæ Bullæ dixerunt, quòd posito,
sed non affirmato, imò expressè, &
cum omni veritate denegato, prout
per superius posita est ostensum, quòd
Bulla supradicta fuerit à Curia ema-
nata, tamen nullo modo poterat ex-
cusari,

§§

culari, quin fuerit *Subreptitiè*, ac etiam *Obreptitiè* impetrata; eò, quia errores, seu Articuli erronei & hæreticales, qui in dicta Bulla generaliter (ut prædicitur) & confuse, asseruntur, in Libris Doctoris Raymundi contineri, *in ipsis nusquam inveniuntur*: benè inveniuntur loca, à quibus *nimis malitiosè* fuerunt cum *falsitate abstracti*, sive *translati* centum Articuli, quos dictus Inquisitor affirmavit esse de numero illorum, in Bulla confuse tactorum, inferendo ipsos, sic *falsificatos*, in quodam Quaterno sua propria manu scripto, nominato in Instrumento statim inferiùs inserto, *Condemnatio*. In quo Quaterno sunt posita nomina Librorum, & series Articulorum. Nam ipsi centum Articuli comprobati cum Libris Doctoris,

toris, inveniuntur in dicto Quaterno, modò per *Additionem*, modò per *Abstractionem*, modò per *Mutationem intentionis* prædicti Doctoris, *falso modo assumendo*, seu *interpretando* ipsam; modò per *truncatam* verborum dicti Catholici Doctoris *positionem*, hæresi & erroribus maculati; sed prout sunt ipsi prædicti centum Articuli in sua integra veritate, in Libris Doctoris originaliter scripti, inveniuntur *veri & Catholici*, & à rubigine hæresis omninò alieni.

Et ad faciendam veram demonstrationem *falsæ Translationis* seu *Interpretationis* Articulorum prædictorum, produxerunt in sui prima forma quoddam publicum Instrumentum, actum per Reverendum Magistrum Bernardum Ermengaudi Provincialem

lem Prædicatorum, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ, de quadam *Examinatione* per ipsum cum Magistris in Theologia Monasterii Prædicatorum Barcinonæ & Monasterii Fratrum Minorum dictæ Civitatis, facta de quodam Libro dicti Doctoris, intitulato *Philosophia Amoris*; in quo Libro *falsè* affirmatur inter contenta in dicto Quaterno, propria manu dicti Fratris Nicolai Eimerici scripto, qui Quaternus (prout superiùs continetur, *Condemnatio* in proximè dicto Instrumento nuncupatur) quòd erant inventi tres Articuli erronei & hæreticales, prout prædicta *falsitas* in prædicto Instrumento *Examinationis* fuit authenticè declarata. Cujus quidem Instrumenti, quod fuit per pendens sigillum

Ma-

Magistri Bernardi Ermengaudi Provincialis, & Inquisitoris prædicti, & per ipsius & aliorum Magistrorum Ordinum Prædicatorum & Minorum subscriptiones manu propria cujuslibet ipsorum roboratum: tenor talis est.

Noverint universi, quòd die Sabbati decima nona die Maji, Anno à Nativitate Domini *millesimo trecentesimo octogesimo sexto*, in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum, existentibus personaliter in Monasterio Fratrum Minorum Barcinonæ Reverendo Patre *Magistro Bernardo Ermengaudi Provinciali Prædicatorum, & Inquisitore hereticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ*, nec non & Fratre Antonio Falqueti, Fratre Francisco Marmandi in Sacra Pagina
Ma-

Magistris de dicto Ordine Prædicatorum; Fratrem Arnaldo Peregrini, Confessore Illustrissimæ Dominae Reginae Aragonum, Fratrem Bernardo Broll, in eadem Sacra Pagina Magistris, Fratrem Berengario Laqueti Custode, Fratrem Guillelmo Arago Lectore, Fratrem Dalmatio de Clascario, Fratrem Joanne de Pagueria Baccalaureo, Conventualibus Barcinonæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, in Camera scilicet, sive Cella, quam præfatus Religiosus Magister Arnaldus Peregrini tenet in dicto Monasterio Fratrum Minorum.

Præfatus Reverendus Dominus Inquisitor dixit & proposuit, quòd ad instantiam quorundam amicorum Venerabilis Raymundi Lullii quondam Civis Majoricarum, ipse pro infr-

transcriptis vocaret ad consilium omnes dictos Magistros & Fratres, & narravit ibidem: quomodo tempore Sanctissimi in Christo Patris & Domini D. Gregorii sanctæ Memoriae Papæ undecimi, Reverendus Pater Magister Nicolaus Eimerici Ordinis Prædicatorum, tunc Inquisitor hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ fecerat condemnari *aliquos Articulos*, quos dicebat, se invenisse in diversis Libris dicti Raymundi Lullii, nominando ipsos Libros; inter quos autem Articulos erant, (ut dixit idem Dominus Inquisitor Magister Bernardus,) *tres*, quos idem Magister Nicolaus dicebat, se invenisse in quodam Libro facta per dictum Raymundum Lullium, intitulato, *Philosophia Amoris*, quos *Articulos* dictus Venerabilis

D.

D. Inquisitor Magister Bernardus Er-
mengaudi, tradidit mihi Notario in-
scriptis, compositos in latino, & sunt
isti.

Primus, quòd Deus habeat multas
essentias.

Secundus, quòd in faciendo bonum
non oportet expectare, quòd Deus
incipiat, quia jam incepit, quando
nos creavit, & pro conservatione nos-
tra mundum nobis dedit, ut ei servia-
mus, & eum honoremus.

Tertius est, quòd Virtus est ita bona
& quantitate magna, quòd omnis
homo potest eam habere pro sua vo-
luntate.

Dixit etiam, & asseruit idem Do-
minus Inquisitor Magister Bernar-
dus, quòd ipse viderat & recognove-
rat præfatum Librum *Philosophiæ Amo-
ris*,

ris, & quòd non invenerat in ipso Libro dictos *Articulos condemnatos*, ut jacebant *condemnati*, licèt invenisset in eodem Libro tres *Articulos*, à quibus dicti tres *Articuli condemnati* fuerunt abstracti: quos similiter idem Dominus Inquisitor Frater Bernardus tradidit mihi dicto Notario, ut erant scripti in ipso Libro intitulato *Philosophia Amoris*, quem in manu tenebat scriptum in vulgari; & sunt isti.

Primus. Quæstio: *Granesa de amor, dix lamich, en mon amat ha multes essencies?* Solutio. *Amich, dix granesa de amor, en les definicions compostes al meu capitol es significat, quel amich es tan lligat ab son amat per una essencia damdos, que nos poden departir.*

Secundus ponitur sic: *Dones è donzelles damor, dix lamich, manifesta rao es,*

es, quel Amat vol esser honrat en lo mon
tots tems, è vol salvacio de homens, è no
damnacio; E per asso nigu no pot ne deu
inculpar lamat, que ell no vulla esser
honrat, ne salvacio de gents, per que lo
defalliment no es de part de Deu, mas
es de part dels homens, que nol volen
honrar. E vos altres jam havets dits,
que nous cal, que jous prech, que siats
en mon amor: ans ne pregat vos altres
mi, que jo vos hi vulla metre. En axi es
de Deu, nous cal esperar, que ell comens,
car ia ha commensat, en quant ha los
homens creat, è lo mon lus ha donat; per
so quel tengan en lur cor en lo mon hon-
rat. Comencem donchs à honrar lamat,
è anem per lo mon sa è la per honrar
lamat.

Tertius Articulus ponitur sic ad
literam. Amadors los Angels, Cel, Ele-
ments,

*ments, Plantes, Besties, Homens, è tota
res, qualque sia, ha virtut per la virtut
de mon amat; car enaxi compren la sua
virtut totes altres virtuts, com la sua
bonesa totes les altres boneses, è la sua
granesa totes les altres graneses. Et totom,
que vulla haver morals virtuts per
amor de la virtut de mon amat, ne pora
aytantes haver, è en aytanta bonesa è
granesa, com ne pora voler.*

Quibus prolatis & narratis dictus
Reverendus Dominus Inquisitor Ma-
gister Bernardus Ermengaudi inter-
rogavit omnes superiùs nominatos
Magistros in Theologia, & alios su-
pradictos Fratres Theologos, qui ibi
erant, collationem super iis facien-
tes, si dicti Articuli (ut in Latino ja-
cent condemnati, & suprà sunt in-
serti) erant in dicto Libro *Philosophiæ
Amoris,*

Amoris, vel si poterant elici ex dictis
positis in Libro prædicto? Etiam in-
terrogavit, si dicti Articuli, ut jacent
in dicto Libro eo modo, quo dictum
est, (ut suprà sunt inserti) sunt boni,
veri & Catholici?

Et omnes dicti Magistri & alii
Fratres, per dictum Dominum In-
quisitorem Magistrum Bernardum
interrogati per capita, tenentes &
legentes ibi coram omnibus prædic-
tos tres Articulos condemnatos, &
prædictum Librum *de Philosophia
Amoris*, dixerunt, quòd semel &
pluries quilibet per se viderat & re-
cognoverat assidue & diligenter præ-
dicta, & quòd dicti Articuli condem-
nati, ut jacebant & suprà sunt inserti,
*non erant in dicto Libro, nec poterant
elici ab eo: & quòd Articuli supràdicti
positi*

positi in Libro prædicto Philosophiæ
Amoris erant *boni, veri & Catholici.*

Dixerunt prætereà & affirmarunt
omnes prædicti Magistri & Fratres,
quòd esto, quòd dicti Articuli positi
per dictum Venerabilem Raymun-
dum Lullium eo modo, quo sunt
positi, ut suprà sunt inserti in vulga-
ri, ab omnibus possunt videri *veri &
Catholici, multò magis legendo præce-
dentia & sequentia ipsius Libri, & ins-
pectis aliis suis Libris patet clarè (ut
dixerunt) prædictos suos Articulos esse
veros & Catholicos, & Articulos con-
demnatos nullo modo esse suos, nec sue
intentionis.* Nam (ut dixerunt) de
Essentia Dei, de quo est primus Ar-
ticulus, loquitur dictus Venerabilis
Raymundus Lullius in quodam Libro
intitulato de *Infito Esse, in Capite de*
Tri-

Trinitate, in fine primi paragraphi, in hunc modum (ut dixerunt.)

Dicimus autem, quòd producens est Deus Pater, & productus Deus Filius, & procedere est Deus Spiritus Sanctus, tres Personæ distinctæ in numero, & unus Deus, & non plures, & una Essentia Substantia & Natura.

Item dixerunt, contineri in alio Libro intitulato de *Sanctitate Dei*, quasi in principio, dicendo, quòd *Deus Sanctus est, & qualibet sua dignitas est Sancta*; concludit (ut dixerunt) quòd *unus est Deus, una Sanctitas, Essentia, Substantia & Natura.*

Etiam (ut dixerunt) in alio Libro intitulato de *Essentia perfecta*, in Capite de *Essentia Dei*, quasi in fine dicti Capituli; ubi loquitur de Dignitatibus divinis, dicit sic (ut dixerunt) *qua-*
libet

libet istarum significat *Essentiam*; non autem dicimus plures *Essentias*, sed unam *Divinam Essentiam*, quam vocamus *Deitatem*.

Etiam dixerunt prædicti Magistri & Fratres, quòd per verba infra scripta, contenta (ut dixerunt) ibidem, in Libro prædicto *Philosophiæ Amoris*, in Capite intitulato de *Veritat de Amor*, in secundo paragrapho, ubi (ut dixerunt) continetur sic: *No poden esser nombrats en Essentia de amor Amich è Amat, sens vera differenciadamos*: apparet evidenter (ut dixerunt) quòd dictus Venerabilis Raymondus Lullius loquutus fuit in solutione quæstionis dicti primi Articuli de *Essentia Amoris*, & non de *Essentia Divina*.

De secundo verò *Articulo condemnato*

nato, ubi continetur, quòd in faciendo bonum, &c. Dixerunt dicti Magistri & Fratres, quòd dictus Venerabilis Raymundus Lullius in suo Articulo posito in vulgari (ut ex ejus tenore clarè liquere dicebant) loquitur de *Amore*, & non de *Operatione bona facienda*, sicut sonat Articulus condemnatus.

Et ad istorum evidentiam affirmarunt prædicti Magistri & Fratres, quòd in quadam Quæstione facta (ut dicebant) in dicto *Libro Philosophiæ Amoris*, in Capite intitulado de *les Obres de Deu & de Amor*, demonstravit dictus Raymundus Lullius, se benè scire, credere & intelligere, quòd *Deus habeat concurrere in qualibet bona operatione*. Dicit enim (sicut dixerunt) *Quæstio. Quant ha lamat obre en ho-*
me?

me? E responch lamich, lamat ha tota
hora obra en home ab mija, è sens mija:
ab mija, en quant li fa fer un be ab
altre: sens mija, en quant per si ma-
tex lo mou à fer be. Quòdque in alio
loco dicti Libri *Philosophie Amoris*,
videlicet in Capite intitulado de Li-
bertat de Amor, in fine penultimi pa-
ragraphi, demonstrat dictus Venera-
bilis Raymundus Lullius (ut supra-
dicti dixerunt) se scire & credere,
quòd aliquis sinè auxilio Divino non po-
test bene operari. Dicit liquidem: quel
Amich dixi à Amor: jo voldria donar à
mon Amat tot so, que ell me ha donat:
so es à saber, &c. T diu apres: empero
jo nou puch donar, sens que ell no mo
fasa donar. Vnde dixerunt & affirma-
runt omnes dicti Magistri & Fratres,
quòd dictus Venerabilis Raymundus

§§§

Lullius

Lullius in isto secundo Articulo non loquebatur secundum formam, nec intentionem *Articuli condemnati*, sed loquebatur *de Amore Dei*, qui ab æterno nos dilexit.

De tertio autem *Articulo condemnato*, ubi continetur, quòd virtus est ita bona, &c. Dixerunt dicti Magistri & Fratres, quòd dictus Venerabilis Raymundus Lullius in suo Articulo posito in vulgari loquitur solùm de *virtutibus moralibus*, & non de *gratuitis*; prout apparere dicebant in ipso tertio Articulo superius inserto: quoniam in alio loco dicti Libri, videlicet in Capite intitulato *Del solaz del Amor* in septimo paragrapho demonstrat dictus Venerabilis Raymundus (ut dixerunt) quòd prædicta non intelligat de virtutibus *gratuitis*,

tuitis, ubi dicit: que par la ven lamich è
lamor de tempransa è de speransa, que
son carreres, per les quals amadors van
al Amat. E dix lamich, que per tem-
pransa, qui es gran è bona virtut, espe-
rava haver la gloria de son Amat. Acu-
sa lamor lamich à son Amat, &c. Et
dicit postea, quel Amat trames justicia
al amich, per so, quel punis, per so, car
per sos merits cuydava haver salvacio.

Dixerunt etiam dicti Magistri &
Fratres, quòd in aliis locis dicti Libri
Philosophie Amoris videtur clarè, quòd
dictus Venerabilis Raymundus Lu-
llius loquebatur de dicto Articulo, &
de aliis superius contentis, regulatè,
benè, verè & catholicè; & ideo omnes,
tam dictus Reverendus Inquisitor
Magister Bernardus Ermengaudi,
quàm dicti alii Magistri & Fratres
superius

superiùs nominati, in dicto loco congregati, unanimiter concordantes, nemine discrepante, narratione facta de prædictis (ut superiùs est dictum) in præsentia mei dicti & infra scripti Notarii, & testium infra scriptorum *concluserunt*, & dixerunt ibidem singulariter, & distinctè.

Primò: per dictum Inquisitorem sua intentione prolata, quòd dicti Articuli, ut jacent *Condemnati*, licet, ut jacent in *Condemnatione*, benè fuerint condemnati, tamen *non sunt conscripti in dicto Libro Philosophiæ Amoris, nec ab eo, nec à contentis in eo poterant elici, nec intelligi formaliter, nec æquipollenter, tacitè, vel expresse, directè, nec etiam indirectè*: imò ipsi Articuli condemnati, qui superiùs sunt inserti in Latino, malè Libro dicto fuerunt

attributi, & quòd *Articuli prædicti* in
vulgari positi, in dicto Libro *Philoso-*
phia Amoris, qui superiùs pariter sunt
inserti, secundum præcedentia & se-
quentia & modum loquendi Docto-
ris sunt *boni, veri, fideles & Catholici,*
& nulla rubigine hæresis maculati: præ-
dicta (ut dixerunt) pro conclusioni-
bus capientes.

Quibus sic factis & dictis, in con-
tinenti Venerabilis *Joannes Lullius* ibi-
dem præsens, & vices portans in
hac parte (ut dixit) & suo nomine,
& omnium dictorum amicorum dic-
ti Venerabilis *Raymundi Lullii*, pe-
tiit sibi de prædictis fieri & tradi tot,
quot petierit, *publica Instrumenta* per
me Notarium infra scriptum, ad ha-
bendum memoriam de prædictis.

Quæ fuerunt facta in dicto Monas-
terio

terio Fratrum Minorum Barcinonæ,
in cella prædicta, die & Anno præ-
dictis, præsentibus Religiosis, Fratres
Bernardo Magri, Fratres Antonio de
Fonte, Fratres Michaële Peris, Con-
ventualibus dicti Monasterii Fratrum
Minorum, ad hæc vocatis pro testi-
bus, & me Petro Dalmatii Notario
infrascripto.

*Ego Frater Bernardus Ermengaudi,
Magister in Theologia, Prior Provincia-
lis Fratrum Prædicatorum, & Inquisi-
tor hereticæ pravitatis manu propria
subscribo, & sigillum Provincialatus
apposui impendenti in testimonium præ-
missorum.*

*Ego Frater Antonius Falqueti, Sacra
Pagine Professor hic manu propria subs-
cribo.*

Ego Frater Franciscus Marmandi,

Sacræ Theologiæ Magister hîc propria manu subscribo.

Ego Frater Arnaldus Peregrini, Sacræ Theologiæ Magister prædictus, subscribo manu propria in testimonium præmissorum.

Ego Frater Bernardus Broll, Sacræ Theologiæ Magister prædictus, subscribo manu propria in testimonium præmissorum.

Ego Frater Dalmatius de Castellario prædictus manu propria subscribo.

Ego Frater Berengarius Laqueti prædictus manu propria subscribo in testimonium præmissorum.

Ego Frater Guilielmus Arago prædictus subscribo propria manu in testimonium præmissorum.

Ego Frater Joannes de Pagueria prædictus manu propria subscribo in testimonium præmissorum.

Signum

Signum mei Petri Dalmatii Auctoritate Regia Notarii publici Barcinonæ, qui prædictis; dum per dictos Reverendos Dominos Fratres Bernardum Ermengaudi, & alios superius nominatos in dicta cella congregatos fiebant & dicebantur unà cum præ-nominatis testibus interfui requisitus, & ea in hanc publicam formam scribi feci, & propriis subscriptionibus ipsorum Fratrum, ac Sigillo Provincialatus prædicti appositis clausi. Constat autem de literis rasis in linea trigesima septima, *tuli*.

Item ad monstrandam etiam *falsam Translationem*, seu *Interpretationem* supradictam per dictum Fratrem Nicolaum Eimerici in dicto Quaterno factam, ponendo & affirmando, dictum Doctorem erroneè & hæretice

ticè velle probare Articulos Fidei & cætera alia, quæ per Fidem sunt credenda, produxerunt quandam *Papyri schedulam* continentem multa & diversa *Originalia* dicti Doctoris, scripta in diversis suis Libris, qui ibidem fuerunt cum dictis Libris *comprobata*.

Cujus quidem *schedulæ tenor talis est*.
Dominus Raymundus ponit Articulos Fidei probabiles, sive demonstrabiles certo modo inferiùs aliquatim tacto, aliàs dicit, quòd errores infidelium, per quos Fides impugnetur, non essent destructibiles: undè major falsitas prævaleret contra majorem veritatem, quæ est veritas Fidei.

Item dicit, quòd aliter labor Theologorum esset inutilis; nam impossibile esset eis pervenire ad cognitionem

nitentionem eorum, quæ sunt Fidei; circa quam cognitionem semper laborant; & sic eorum labor careret fine, & per consequens merito & gloria.

Ulteriùs ponit, quòd, si Articuli sunt demonstrabiles, ex eorum demonstratione sequitur Illuminatio dubitantium, Confirmatio credentium, & Directio incredulorum; & etiam sequitur major Dilectio in anima hominis, cùm certum sit, quòd illud bonum, quod magis intelligitur, magis diligitur. Multa alia habet motiva dictus Raymundus, quibus laboravit, ad probationem Articulorum Fidei, gratia adjuvante, finè qua (ut ipse expressè dicit) talia esse non valerent.

Non intellexisse videtur (ut ipse
in

in pluribus locis aperte dicit) quòd
Articuli demonstrantur per *Causam*,
cùm Deus non habeat causam supra
se: nec per *Effectum*, cùm talis De-
monstratio potissima non existat:
nec *sinè Fide*, quia cùm finiti ad infi-
nitum nulla sit proportio, oportet,
ut *mediante Fide* Articuli & intellec-
tus hominis aliquo modo proportio-
nentur.

Minùs, intelligere videtur, quòd
per talem Demonstrationem Arti-
culorum veritas *comprehendatur*; quia
infinitum non comprehenditur à
finito, cùm finitum habeat termi-
nos limitatos: videtur ergò intelle-
xisse, quòd talis demonstratio *sinè*
Fide est impossibilis: & ideo sæpe alle-
gat in dictis suis dictum Isaia: *Nisi*
credideritis, non intelligetis. Cum fun-
damento

damento itaque & præsuppositione Fidei
sua intentio existit, intellectum posse
intelligere objectum primum; & ideo
ponit in *Arte Magna* formaliter, sic.

„Quando intellectus intelligit ob-
„jectum primum, *Fides disponit* ipsum
„ad intelligendum, sicut *charitas*
„disponit voluntatem ad amandum
„ipsum objectum primum; & sicut
„voluntas non posset amare ipsum
„objectum primum finè *charitate*,
„sic intellectus non posset intelligere
„ipsum objectum primum absque
„*Fide*.

Item ponit in *Libro de Civitate*
Mundi, Capite de Fide: „*Fides est habi-*
„tus, cum quo Intellectus ascendit
„ad intelligendum de Deo ea vera,
„quæ de Deo intellectus per *Fidem*
„credit; quoniam ad ipsa vera intel-
„lectus

„lectus *sinè Fide* ascendere non potest
„ad *intelligere* : & per hoc inter *in-*
„*telligere* & *credere* existit concordan-
„tia ; cùm *intelligere* & *credere* sint
„sub *eadem potentia* , ut puta , intel-
„lectus humanus, qui *credit*, ut possit
„*intelligere* : & hoc significatum est
„per *Isaiam Profetam* dicentem :
„*Nisi credideritis, non intelligetis.*

Item in eodem Libro *Capite de for-*
titudine dicit sic : „Dixit Fortitudo,
„sum habitus moralis, cum quo for-
„tifico voluntatem humanam ad ac-
„quirendum virtutes , & ad evitan-
„dum peccata ; ipsa autem voluntas
„per se nuda, non habet potestatem
„ad hoc , nisi de me sit habituata : si-
„cut humanus Intellectus , qui non
„potest per se *intelligere ullum Artic-*
„*ulum Fidei*, nisi de *Fide* sit habituatus.

Item

Item ponit in Libro *primæ & secundæ Intentionis &c. de Fide: „Fides „est intentio credendi veritatem, „quam Intellectus nequit intelligere. Et sequitur, quasi in fine dicti Capituli: „si vis intelligere fili, id, quod „credis, suppose, illud possibile esse „verum; si enim supposueris, Fides „est tibi: cum Suppositio sit per Fidem „& per ipsam elevatur intellectus ad „intelligendum; si verò supponere no- „lueris, injuriaris intentioni, quare „Fides est &c.*

Item ponit in Libro intitulato *Declaratio Raymundi per modum Diagoli, &c. in Cap. 16. quasi in principio: „Fides est ipsa virtus, quæ intellectum „cogit ad credendum vera de Deo, „quæ homo non intelligit, per ne- „cessarias rationes; & est virtus, quæ
hilariter*

„hilariter facit *voluntatem* hominis
„amare veritates Dei, quas *intellectus*
„ipsius *credit*: & ideo Fides est una
„communis conceptio virtuosa & ve-
„rus habitus, in quo *intellectus* habet
„*passionem*, & *voluntas* actionem &c.
„Et sequitur.

„Adhuc Sortes, tu, qui te dicis esse
„Philosophum, debes scire, quòd *Fi-*
„*des* est, ut ipsa sit subjectum, in
„quo veritates restaurentur, quas
„intellectus non potest intelligere
„propter aliquod impedimentum,
„quod venit ex parte sensitivæ aut
„imaginativæ, quas veritates non
„posset attingere ipse intellectus, si
„non haberet *habitum Fidei*, in quo
„restaurentur, *credendo*, auctoritates
„conceptæ, per *Fidem* & non per ne-
„cessitatem cognitæ: & talis *Fides* est
„ita

ita intellectui & voluntati necessa-
ria, ut ipse intellectus & ipsa volun-
tas veritates Dei possint contem-
plari, sicut est eis necessaria imagi-
natio, in qua etiam objecta sensiti-
va valeant attingere, quæ sunt sibi
absentia, quæ non possent attingere
sine imaginativa, quæ à sensitiva
accipit objecta cum phantasia: &
sicut ipsa imaginativa accipit ob-
jecta, sic ipsa intellectivo & ama-
tivo repræsentat illa, quando scili-
cet ipsum intellectivum & amati-
vum ipsa objecta requirunt.

Adhuc dico tibi, quòd *Fides est*
necessaria ad intelligendum veritates
Dei; quoniam in principio, cum
intellectus ipsas investigat, *supponit*
per Fidem, quòd illas possit attingere & invenire, non sicut *compre-*
hendens

„hens, sed sicut apprehendens: & hoc
„intellectus non posset facere, si se
„habitu Fidei in principio investiga-
„tionis non indueret, iuvante tamen
„gratia Dei; & tunc transit ad intel-
„ligendum Veritates Dei per Rationes
„necessarias, cum quibus ipsas antè
„non intelligebat: veruntamen sem-
„per remanet habitus Fidei sustenta-
„tus in intellectu ad hoc, ut, si intel-
„lectus perdat illas veritates, quas
„attingit & apprehendit, recurrat ad
„habitum Fidei, & cum illo illas cre-
„dat.

„Sed hoc non faciunt aliqui Phi-
„losophi, qui nihil supponunt de ve-
„ritatibus Dei secundum Fidem, sed
„stant ad hoc, quod possunt attingere
„secundum aliqua significata natu-
„ralia repræsentata per effectum;

bonp

§§§§

„idcirco

„idcirco multoties falluntur propter
„impedimentum sensitivæ & imagi-
„nativæ: & de hoc suprâ in Proemio
„dedimus exemplum in ultima po-
„sitione. Et cùm tales Philosophi illas
„veritates perdunt, non habent, in
„quo ipsæ restaurentur; quoniam
„*habitus Fidei* non habent: idcirco in
„ipsis est infirma Philosophia, & in-
„tellectus ipsorum in errore; sicut
„gustus infirmi ad dulcedinem pomi:
„ideo dicit quidam sapiens, quòd
„ingrediens ad scientiam philosophiæ
„per *habitus Fidei* potest breviori
„tempore esse Philosophus, & habere
„magnum intellectum, quàm ille,
„qui ingreditur ad ipsam sinè *habitu*
„*Fidei* &c.

Item ponit in Libro *Disputationis*
Intellectus & Fidei, in secundo Capite,
quod

quod incipit: *Tunc Fides ait Intellectui, quasi in medio dicti Capitis, ubi Intellectus dicit Fidei:*

„Adhuc dico tibi, quòd principa-
„liter non es creata propter meritum
„hominum, sed ut Deus sit recolitus,
„intellectus & à suo populo sit dilec-
„tus; cùm plus dicat de bonitate &
„nobilitate, Deum recolere, intelli-
„gere & amare, quàm homines re-
„munerare. Rursum dico, supposito,
„quòd Articuli possint probari, ho-
„mines non amitterent meritum in-
„telligendi & amandi, quoniam scrip-
„tum est: Nullum bonum dilectum,
„nisi cognitum. Et Isaias dicit: *Nisi*
„*credideritis, non intelligetis:* & sic pa-
„tet, quòd tu *Fides es dispositio &*
„*preparatio, per quam ego à Deo sum*
„*dispositus ad res altas: quare in hoc,*
„quòd

„quòd ego per te *suppono credendo*,
„quòd possim ascendere, habituo me
„de te, & sic tu es in me, & ego in
„te: & quando ascendo ad gradum,
„in quo tu es, *intelligendo*, tu *credendo*
„ascendis ad gradum super me al-
„tiorum: quoniam sicut oleum natat
„super aquam, ita tu semper super
„me commoraris: & ratio hujus est,
„quia habes majorem vigorem in
„omnibus ascendendi, *supponendo*, eò
„quia non laboras, quàm ego, qui,
„quando ascendo *intelligendo*, tunc
„laboro. Et sequitur in *sine dicti Capi-*
„*tis*: Adhuc, quia *suppono*, quòd, si
„*Intelligere* mihi deficeret, quòd re-
„currerem ad te per *Credere*: quoniam
„sicut frigiditas aquæ remanet in
„ipsa aqua in habitu, quando est ca-
„lida, sic tu remanes in *habitu*,
„quando

„quando intelligo.

Item in proximè dicto Libro incipit *tertium Caput*, ubi *Fides* alloquitur *Intellectum* sic: „Frater non irascaris
„contra me, cùm sim causa, quòd
„tu valeas exaltari, in hoc, quòd *dis-*
„pono te ad intelligendum, sicut tu met
„superiùs concessisti; & sic perma-
„nes in *intelligendo*, per tuam natu-
„ram, sicut de te data est suprà de-
„finitio: & intellige hæc verba: Tu
„benè scis, quòd *Divina Trinitas sit*
„*incomprehensibilis*, eò quia est infini-
„ta, & tu es finitus, & quia inter in-
„finitum & finitum nulla est propor-
„tio: unde sequitur, quòd tu in via
„non potes attingere *Divinam Trinita-*
„*tem per Rationes necessarias*; quia si
„sic, jam finitum comprehenderet
„infinitum; quod est impossibile &

„dissonum rationi.

„Ait *Intellectus* : *Fides* Soror mea,
„non irascor contra te, sed tibi præ-
„fero veritatem, & doleo, quia gen-
„tes non utuntur me intensivè, se-
„cundum gradus altos, ad quos de-
„me possent habere usum; & ad tu-
„am Positionem sic respondeo.

„Concedo hoc, quod dicis de *In-*
„comprehensibilitate *Divinæ Trinitatis*,
„& de mea *finitate*; sed dico, quòd,
„si de *Divina Trinitate* habeo aliquas
„*Rationes necessarias*, non sequitur,
„quòd sim *Comprehensor*, sed tantùm
„*Apprehensor* : quoniam sicut digitus
„positus in una parte ferri igniti sen-
„tit in parte caliditatem ignis, sed
„non totam caliditatem, eò quia non
„tangit totum subjectum ejus, sed
„partem; sic à simili, secundùm mo-

„dum

„dum *intelligendi*, ratione infusionis
„& gratiæ *Divinæ Trinitatis* & suæ
„maximæ *Intelligibilitatis*, benè pos-
„sum particulariter secundùm me
„aliquid attingere de suo lumine ve-
„ritatis; quoniam non est aliquis, qui
„possit eam contra hoc ligare, neque
„etiam me, si ei placet: imò miror
„de te, quare non consideras, quòd,
„sicut divina Voluntas infundit in
„via *Charitatem* ratione Gratia in hu-
„manam voluntatem, ut homo per
„ipsam sit charitativus ad agendum
„bonum, quare non sic divina Sapi-
„entia per gratiam infundat *Sapien-*
„*tiam* in me? ut attingam de *Divina*
„*Trinitate*, quæ mihi sufficiant ad
„ipsam *intelligendo*, & omnes objec-
„tiones contra ipsam destruendo,
„etiam ad sororem meam *Volunta-*
„*tem*

tem diligendo; cùm finè mea alta In-
telligibilitate ipsa non possit habere
amorem satis altum &c.

Et sequitur in fine dicti Capituli: „Et
audias Fides, supposito, quòd non
possim attingere Divinam Trinita-
tem in aliquo, si aliquis infidelis
multùm literatus & subtilis vellet
destruere te per Rationes apparentes,
cum quo ego possem te adjuvare?
per te, non; quia ipse nollet Credere:
sequitur ergò, quòd per me; cùm ve-
ritas sit super falsitatem sic, in modo
Intelligendi, sicut in modo Creden-
di: alioquin ego essem excusatus in
via ad resistendum falsitati, quæ est
contra te & contra Divinam Trini-
tatem, & possem esse otiosus sinè pec-
cato; quòd est impossibile, sicut dixi:
unde sequitur, quòd possim tantùm

„attingere *veritatem Divinae Trinitatis*, quòd possim resistere falsitati, quæ contra ipsam est, approbando ipsam, & destruendo errores, qui contra ipsam ab infidelibus quotidie enarrantur.

Et in multis aliis locis, & quasi in omnibus Libris, in quibus Dominus Raymundus loquitur *de Fide*, prædicta sua *Intentio* est clarè & expressè posita; videlicet, quòd *Demonstratio Articulorum Fidei sinè Fide est impossibilis*. Item quòd nullo modo ipsorum Articulorum veritas est in via *Comprehensibilis*, sed benè cum *Fide aliquo qualiter Apprehensibilis*.

Et ideò clarè & manifestè potest quilibet speculari, quòd prædictæ intentioni non contrarietur Auctoritas Gregorii, quæ in contrarium solet allegari:

legari: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum; cum in dicta Auctoritate Beatus Gregorius loquatur comprehensivè, prout ad literam apparet in hoc, quod præcedit dictam Auctoritatem; dicit enim: Sed Sciendum nobis est, quòd Divina Operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec Fides habet meritum &c.* Et etiam in hoc, quod statim sequitur post dictam Auctoritatem, apparet, Beatum Gregorium non esse contrarium, imò concordantem intentioni prædictæ, videlicet, quòd Divina Mysteria possint apprehendi per *Rationes*; nam aliter non fecisset *Rationem*, quam fecit dicendo: *Quid ergò mirum, si clausis januis post Resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moritu-*

rus vivens non aperto utero exiit?

Item etiam demonstratur aperte
sana Intentio dicti Raymundi per
expositionem, quam fecit de dicta
Gregorii Auctoritate; in cuius ulti-
mo paragrafo continetur sic:
„Sensus Anagogicus est transcen-
dens quando considerat, quòd bea-
tus Thomas dixit: *Dominus meus,*
„*& Deus meus;* ipse enim non vidit
„Deum visione sensuali, eò quia
„Deus est invisibilis; sed vidit ho-
„minem: & sic super experientiam
„visionis sensuales transmutavit se ad
„*Credere visionis spiritualis,* eò quia
„*Fides attingit veritatem* mediante
„*aliquo lumine intellectus:* & ideo
„Beatus Gregorius non intellexit di-
„cere meritum quoad experimen-
„tum sensibile, sed quoad *Credere,*

„neque

neque negavit *Credere* dispositum
& præparatum per *sentire*, ut figuratum est per ea, quæ dicta sunt à beato Thoma per *sentire*; quoniam *habitus Fidei* est altior, quàm *habitus sensus*.

Visa ergò Intentione dicti Raymundi in superiùs infertis clarè posita, monstratur manifestè, quòd non est repugnans nec devians, imò totaliter & expressè concordans cum dictis Sanctorum Doctorum: & ideò, qui voluerit contradicere prædictæ Intentioni dicti Raymundi, oportet, quòd contradicat beato Thomæ, qui in primo *Sententiarum* in fine tertii *Quæsti primæ Divisionis* ait sic: *sed tamen Ratio manu ducta per Fidem excrescit in tantum, ut ipsa credibilia penitùs comprehendat, & tunc ipsa quodammodo*

*dammodo intelligit: unde dicitur Isaiaë
7. secundum aliam literam: Nisi cre-
dideritis, non intelligetis.*

*Item quòd contradicat Beato Au-
gustino, qui in 2. de Libero Arbitrio
Cap. 2. ponit: Rationem redditurus sum,
non, ut Fidem respuas, sed, ut ea, jam
Fide firmata tenens, etiam rationis luce
conspicias.*

*Item ponit in Libro Questionum:
Tria sunt de genere credibilium: qua-
dam sunt, quæ prius creduntur, & postea
intelliguntur; sicut sunt, Articuli Fidei,
qui sunt supra Rationem.*

*Item ponit in Libro de Cognitione
veræ Vitæ, ubi talia inquit: Cùm Chris-
tus veritas & vita dicat, hæc est vita
æterna, ut te solum verum Deum cog-
noscant; constat profectò, Naturam ratio-
nalem ad hoc solum factam, ut Facto-
rem*

rem suam intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo, qui est aeterna vita, aeternaliter vivat. Divinitatis ergo Essentiam rationabiliter investigare, est ad vitam festinare; illam verò negligendo ignorare, est utique ad mortem properare; quia nimirum hic ab ea ignorabitur, & deinde à beata vita sequestrabitur.

Item, quòd contradicat Richardo de Sancto Victore, qui dicit: quòd ad ea, quae sunt Fidei, non solum possunt haberi Rationes probabiles, sed etiam necessariae; licet eas contingat interdum nos latere. Item in Libro de Trinitate Cap. 8. promittit, se non solum Fide, sed etiam Rationibus necessariis Dei Unitatem & Personarum Trinitatem fore ostensurum.

Item, quòd contradicat Anselmo

in

in Monologio 13. Cap. ubi dicit: Duo Opuscula feci &c., ut certa Ratione, non Auctoritate, quæ ad Deum pertinent, manifestarem.

Item produxerunt primam & secundam Partem cujusdam Libri dicti Doctoris, intitulati, de *Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in objecto*, quarum tenores sunt, qui sequuntur.

„*De prima Parte.* Aliqui dicunt, „quòd non est bonum, quòd *Fides* „possit probari; quia si sic, amitteretur meritum, & *Fides* esset nulla; „& ad hoc confirmandum adducunt „istam Auctoritatem: *Fides non habet* „meritum, ubi humana Ratio præbet „*Experimentum*: unde ad hoc sic respondemus: omne Præceptum, quod „fecit Christus, est bonum, & ideo „quando

„quando præcepit beato Thomæ:
„*Mitte manum tuam in latus meum,*
„bonum præceptum fecit, ut Thomas
„haberet experientiam; primùm ta-
„men dixit Thomas: *Nisi mittam di-*
„*gitum meum vel manum meam in*
„*latus ejus, non credam:* & quòd Tho-
„mas dixit verum, significatum est,
„quia *facta experientia remansit Fides;*
„quia ipse dixit, non credam.
„Prætereà, nos magis sumus ad
„intelligendum, diligendum & reco-
„lendum Deum, quàm propter nos-
„trum meritum; cùm contemplari
„Deum sit per prius & nostrum meri-
„tum per posterius.
„Item beatus Petrus Apostolus in
„*sua Canonica* dixit: Estote parati ad
„satisfactionem semper, omni pos-
„centi vos *Rationem*, de iis, quæ in
„vobis

„vobis sunt *Fide* & *Spe*: Beatus Petrus
„autem contra divinam ordinatio-
„nem non dixit.

„Iterum beatus Augustinus fecit
„Librum ad probandam Divinam
„Trinitatem, *supposito tamen merito*
„*Fidei*, contra quam Fidem ipse non
„fuit, qui sanctus erat.

„Item S. Thomas de Aquino fe-
„cit unum Librum contra Gentiles,
„qui requirunt Rationes; quia no-
„lunt dimittere *Credere* pro *Credere*,
„sed *Credere* pro *Intelligere*: ipse au-
„tem in faciendo Rationes contra
„Gentiles non intendebat destruere
„*Fidem*; quia vir sapiens & catholi-
„cus fuit.

„Item Doctores sacrae Paginae co-
„nantur, quantum possunt, dedu-
„cere Rationes ad probandam Divi-

* „nam

„nam *Trinitatem & Incarnationem*
„*&c.*, habentes sanam mentem &
„intentionem ad exaltandam Sanc-
„tam Fidem : & ideo Ego, qui sum
„verus Catholicus, non intendo pro-
„bare *Articulos contra Fidem*, sed *Fi-*
„*de mediante*; cùm finè ipsa non pos-
„sim probare; nam *Articuli* sunt su-
„perius, & meus intellectus est infe-
„rius; & *Fides* est habitus, cum quo
„*Intellectus* ascendit supra suas vires:
„non autem dico, quòd probem *Ar-*
„*ticulos Fidei per Causas*, quia Deus
„non habet *Causas* supra se; sed per
„talem modum, quòd *Intellectus* non
„potest *rationabiliter* ipsas rationes
„negare; & possunt solvi omnes ob-
„jectiones contra ipsas factæ, & In-
„fideles non possunt destruere tales
„*Rationes sive Positiones*. Ipsa proba-
„tio

„tio talis, sive sit Demonstratio, sive
„persuasio, vel quocunque alio mo-
„do possit dici, hoc non curo; qua-
„propter nostrum affirmare vel nei-
„gare nihil mutatur in re.

„*De secunda Parte.* Pars ista est
„*de duodecim Syllogismis*, cum qui-
„bus intendimus probare aliquos
„Articulos Fidei: & primùm de pri-
„mo sic dicemus: nullus Intellectus
„potest in via intelligere, Deum
„esse, sinè habitu Fidei; sed quidquid
„intelligitur de Deo in via, intelli-
„gitur per Intellectum: ergò intelli-
„gere, Deum esse, est cum habitu
„Fidei.

„Probatio Majoris: quoniam Deus
„est superiùs, & *Intellectus* inferiùs,
„ipse *Intellectus* naturaliter non po-
„test ascendere ad objectandum ip-
„sum

„sum Deum , intelligendo; ratione
„cujus Deus habituatur ipsum *de Fide*,
„ut *mediante Fide* possit *ascendere*, si-
„cut humana *voluntas*, quæ per se
„non potest *ascendere* ad diligen-
„dum Deum supra se, nisi per Cha-
„ritatem, quæ est suus habitus, ut
„ascendat ad intelligendum supra
„suas vires.

„Probatio Minoris: nam intelli-
„bile propriè est objectum *Intellec-*
„*tus*, & communis opinio est, quòd
„probatum est, *Deum* esse; & ideo
„patet, quòd *Fides* & *Intellectus* con-
„veniant in objecto, Intellectu in-
„telligente, *Deum* esse, sub *habitu*
„*Fidei*.

„*Ad secundam Rationem*. Nulla
„potentia inferior potest *ascendere*
„ad summum Objectum per se tan-
„túm

„tùm ; sed intellectus humanus est
„potentia inferior: ergò intellectus
„humanus non potest ascendere ad
„summum Objectum per se tantùm.
„Majorem & Minorem non oportet
„probare, quia per se patent, & quia
„communis opinio est, quòd intel-
„lectus, quando intelligit, unum
„Deum esse tantùm, & non plures,
„ascendit *Intellectus* mediante intel-
„ligere, *Fide* sibi habitum exhiben-
„do, unum Deum esse tantùm: & sic
„patet, quòd per *Intelligere* non des-
„truatur *Fides*, eò quia *Fides* est instru-
„mentum, cum quo *Intellectus* ascen-
„dit supra suas vires.

„*Ad tertiam*. Facta hypothefi, quòd
„Deus fit ens magis agens per suas
„Rationes, intellectus potest intelli-
„gere, Deum esse Trinum, ut in Li-

„bro

„bro superiùs probatum est; hypo-
„thesis autem talis est: habitus Fidei
„est, sinè quo Intellectus non potest
„probare, Deum esse Trinum; &
„ideo arguo sic: omne *credere* habi-
„tuatum à *Fide* disponit intellectum
„ad intelligere; sed *credere* Fidelis est
„*credere* habituatum à *Fide*: ergò *cre-*
„*dere* Fidelis disponit ipsum *intellec-*
„*tum* ad intelligere. Probatio Majoris:
„Isaias Propheta dixit: *Nisi credideri-*
„*tis, non intelligetis*, & sic formaliter
„sequitur, quòd, si credo, Deum esse
„Trinum, quòd possim intelligere,
„ipsum esse Trinum; quia *credere* est
„antecedens, & *intelligere* est conse-
„quens, facta hypothese, quòd Deus
„sit magis agens per suas Rationes,
„sinè qua Trinitate Deus non potest
„esse magis agens per ipsas: Minor
„per

„per se patet: & ideo ostensum est,
„quòd posita *Fide* ponatur possibili-
„tas ad *intelligere*, remanente *Fide*,
„sicut posito antecedente ponitur
„consequens.

„*Ad quartam.* Christus dixit in
„Evangelio, qui se humiliat, exalta-
„bitur; & ideo arguo sic: quicumque
„se humiliat, exaltabitur; sed *intellec-*
„*tus*, quando *credit*, se humiliat: ergò
„*intellectus*, quando *credit*, exaltabi-
„tur. Major per se patet, quia, quid-
„quid dicit Christus, est verum. Mi-
„norem sic probo: de ratione *intel-*
„*lectus est intelligere*, non autem *cre-*
„*dere*; & ideo quando *intellectus* non
„potest per se *intelligere*, Deum esse
„Trinum, humiliat se ad *credere*,
„quòd Deus sit Trinus; & sic ascen-
„dit ad *intelligere*, faciendo aliquam
„hypo-

„hypothesim, sicut *credere*, quòd Deus
„habeat potestatem infinitam; & sic
„concludit: quòd, ubicunque sit *Posse*
„infinitum, oporteat, quòd sit *Possi-*
„*ficans* infinitum, & *Possificatum* in-
„finitum, sinè quibus posse non po-
„test esse; & sic *intelligit* ista tria cor-
„relativa infinita, cum quibus con-
„siderat Divinam Trinitatem, *Fide*
„*remanente*, sicut habitus in ob-
„jecto.

„*Ad quintam.* Facta ista *hypothesi*:
„omne Ens magis agens extensivè
„causat suum signum agentis magis
„agentis extensivè; sed Deus est Ens
„magis agens extensivè: ergò Deus
„causat suum signum agentis magis
„agentis extensivè. *Major* est vera per
„*suppositum*: *Minor* per se patet: & sic
„*intellectus* per *positionem*, quæ est Ac-
„tus

„tus *Fidei*, ascendit ad *intelligere* In-
„carnationem, *Fide* semper *remanen-*
„te; sinè qua Incarnatione Deus non
„causaret suum signum : & hoc in
„secunda Distinctione primi Libri
„declaratum est.

„Ad sextam. *Suppono*, quòd Deus
„sit Ens magis agens per creationem;
„& ideo arguo sic : quidquid agit
„magis per creationem, deduxit crea-
„tum in esse à non esse; sed Deus est
„Ens magis agens per creationem:
„ergò Deus deduxit creatum in esse
„à non esse. *Probatio Majoris* : quo-
„niam actio magis agit, quando de-
„ducit in esse id, quod non erat,
„quàm si deduceret aliquid de alio
„in esse. *Minor* per se patet : & ideo
„remanente syllogismo remanet po-
„sitio, & per consequens *Fides*, quæ
„est

„est antecedens, & *Intelligere* est con-
„sequens.

„*Ad septimam. Suppono*, quòd Deus
„sit Ens magis agens per *Justitiam*;
„& ideo arguo sic: omne Ens magis
„agens per *Justitiam*, judicat totum
„hominem ad *Beatitudinem*, aut ad
„pœnam sempiternam; sed Deus est
„Ens magis agens per *Justitiam*, er-
„gò Deus judicat totum hominem
„ad *Beatitudinem*, aut ad pœnam
„sempiternam. *Probatio Majoris*:
„quoniam nisi homo resurgeret,
„Deus judicaret partem, & non to-
„tum, scilicet *Animam*; sed judicare
„totum hominem, est judicare cor-
„pus & *Animam*, ex quibus est
„constitutus: & sic per *suppositum*
„transit *intellectus* ad *intelligere*, quòd
„erit generalis *Resurrectio*, rema-
„nente

„nente ipsa *positione*, quæ est actus
„*Fidei*. Adhuc dico, quòd remanet
„Fides, quoniam supposito, quòd in-
„tellectus non intelligeret genera-
„lem Resurrectionem omnium, re-
„curreret ad *credendum* ipsam sub ha-
„bitu *Fidei*, ut patet per istud exem-
„plum: aqua, quando est calida, sua
„frigiditas consistit in ipsa in poten-
„tia; & sic in absentia actionis ignis
„in aqua, frigiditas, quæ est in poten-
„tia, reducitur ad actum, existente
„aqua frigida, sicut erat.

„*Ad octavam*. Nulla virtus *corrumpitur*,
„quando causat virtuosum; *Fides*
„est virtus: ergò *Fides* non *corrumpitur*,
„quando causat *virtuosum*.
„*Major* & *Minor* per se patent; &
„ideo quando dicitur, Deus non est
„corpus, non est compositus, non est
„finitus,

„finitus, non est novus & hujusmo-
„di, intellectus cum habitu *Fidei sup-*
„ponit, quòd Deus sit Ens altius, quàm
„corpus vel compositum finitum &
„novum, confitendo, quòd Deus sit
„Spiritus simplex, infinitus & æter-
„nus; & tunc transit ad intelligen-
„dum Deum, & deducit de ipso ve-
„ras & reales affirmaciones & nega-
„tiones, ex quibus facit scientiam,
„*Fide permanente* sinè corruptione ip-
„sius *credere & intelligere*, concordan-
„do *Intellectum & Fidem* in eodem
„subjecto.

„*Ad nonam*. Nullum dilectum,
„nisi cognitum; sed Deus est dilectus:
„ergò Deus est cognitus. *Major est*
„duplex; quoniam *cognoscere* existit
„per *credere & intelligere*, ratione cu-
„jus *credere* est fundamentum, & in-
„telli-

„*telligere est finis*: sicut in domo, in
„qua fundamentum est inferiùs ra-
„tione finis, & parietes & tectum
„sunt superiùs, eò quia fundamen-
„tum est, ut sequatur domus: unde
„sicut domus non potest esse sinè
„fundamento, sic *intelligere*, quando
„intelligit alta de Deo, non potest
„ascendere sinè habitu *Fidei*: ergò of-
„tenditur per quem modum *Intel-*
„*lectus* & *Fides* conveniunt in sub-
„jecto.

„*Ad decimam*. Nullum intelligi-
„bile potest esse sinè memorabili;
„Deus est intelligibilis: ergò Deus est
„memorabilis. *Major* & *Minor* per se
„sunt manifestæ: Memorabilis au-
„tem est duobus modis, videlicet per
„*credere* & per *intelligere*: memoria
„autem altior est per memorabile
„cum

„cum *intelligere*, quàm per memo-
„rabile cum *credere*, respectu finis; &
„sic de *intellectu*: verumtamen *credere*
„est *superiùs*, tanquam habitus, & *in-*
„*telligere inferiùs*, tanquam habitua-
„tum: & ideo, sicut homo cappatus
„ascendendo in montem, quantùm
„ascendit, tantùm cappa, quæ est su-
„prà, magis ascendit: à simili intelli-
„gens, quantò magis ascendit ad in-
„telligendum Deum & Articulos Fi-
„dei, tantò *Fides*, quæ est suus habi-
„tus, magis ascendit.

„*Ad undecimam*. Nullum diligi-
„bile potest esse sinè memorabili; sed
„Deus est diligibilis: ergò Deus est
„memorabilis. *Major*, & *Minor* per
„se sunt evidentes: Diligibile autem
„est duobus modis, scilicet per ratio-
„nem *Credulitatis*, & *Intellectibilita-*
„tis:

„*tis*: quoniam diligibile, quod est
„mediante recolere & intelligere, est
„per prius; & diligibile, quod est per
„recolere & *credere*, est per posterius:
„& ideo, quantò magis *intellectus* as-
„cendit per prius, ad intelligendum
„Deum, tantò magis est principia-
„tus cum voluntate & memoria in
„objecto, remanente *Fide*, quæ est
„suus habitus: unde sicut in vase, in
„quo est aqua & oleum, quantò ma-
„gìs additur aqua, tantò magis as-
„cendit oleum; & sic de habituato,
„quantò magis ascendit, tantò ma-
„gìs ascendit suus habitus: ergò pa-
„tet, per quem modum *Fides* & *Intel-*
„*lectus* invicem ascendunt in ob-
„jecto.

„*Ad duodecimam*. Omne meritum
„consistit magis per majorem actum,
„quàm

„quàm per minorem; sed major ac-
„tus est *intelligere*, quàm *credere*: ergò
„majus meritum consistit per *intelli-*
„*gere*, quàm per *credere*. Major & Mi-
„nor per se sunt probatæ: unde patet,
„quòd *intelligere* ratione finis sit
„quietatus & dominus, & *credere*,
„quod est instrumentum, sit servus;
„& sic sequitur, quòd dominatore
„permanente servus sit permanens:
„ergo patet, per quem modum ho-
„mo *intelligens* alta de Deo, acqui-
„rit majus meritum per *intelligere*,
„quàm per *credere*, quolibet merito
„existente in suo subjecto diversi-
„modè, secundùm suum modum; &
„hoc in eodem tempore, verumta-
„men *successivè*.

„Diximus de duodecim Syllogif-
„mis, cum quibus est probatum,
„quòd

„quòd *Fides & Intellectus* conveniant
„in eodem tempore in subiecto sive
„objecto, quolibet permanente, ve-
„rumtamen *successivè*: sicut in cursu,
„in quo movens & mobile sunt per-
„manentes *successivè*.

Et sequitur infrà in fine dicti Li-
bri: „*Si autem erravi in aliquo con-*
„*tra Fidem, hoc non feci scientificè, sed*
„*ignoranter confiteor hoc dixisse; quare*
„*submitto ipsum Correctioni Ecclesiae sa-*
„*cro sanctae Romanae.*

Item, ad demonstrandum etiam
prædictam *Falsitatem Translationis* seu
Interpretationis, in hoc, quòd in dicto
Quaterno continetur, dictum Docto-
rem erroneè & hæreticè dicere, *Essen-*
tia essentiat, bonitas bonificat, magnitu-
do magnificat: produxerunt textus se-
quentes dicti Doctoris, in quibus se-

**

ipsum

ipsum Catholicè interpretatur & exponit.

Primò textum Prologi Libri dicti Doctoris, intitulati *Ars Inventiva*, qui talis est: „Ars præfens ab Arte De-
„monstrativa descendit, & licèt exist-
„tentia hujus & illius sit una & ea-
„dem, modus tamen earum proce-
„dendi est diversus &c. Et sequitur infrà in primo paragrapho: „Et quo-
„niam ita est, quòd existentia & ope-
„rationes rerum, de quibus intendi-
„tur, vehementiores atque plures sint
„in se ipsis, quàm earum similitudi-
„nes in Intellectu, & ipsæ sunt ma-
„jores & ampliores, quàm sint in ser-
„monibus earum significata: magna
„est ergò distantia *Signorum à rebus*
„*suis*: & propterea de necessitate nos
„convenit fingere verba, propter sig-
„norum

norum paucitatem, & de vi & necessitate Artis aliquoties inusitata verba proferre, velut infra patebit.

Et ut etiam majora signa, & minus à rebus suis distincta exprimamus, verba quandoque transsumimus, & quod est proprium alicui rei, propter expressionem majoris sententiæ, alteri attribuimus; ut cum dicitur: *Bonitas bonificat, Magnitudo magnificat*, & cætera hujusmodi: quia quod est proprium suppositi boni, scilicet bonificare, attribuimus bonitati, propter quam ipsum bonum bonificat; ut vehementius exprimamus, quòd bonum propter bonitatem bonificet, & magnum propter magnitudinem suam magnificet: & sic cum dicitur: finis mo-

vet

„vet efficientem ad bonum, hoc est
„dictum, quòd Efficiens propter fi-
„nem bonum se moveat ad bonifi-
„candum.

„Et quia ita est, quòd de rebus
„creatis *improprie* loqui nos oportet
„(ut jam dictum est) multò minùs
„igitur de Deo possumus *proprie* lo-
„qui; quia cùm immensa sit in om-
„nibus perfectionibus ejus existentia,
„quid est, quod de illo benè & pro-
„prie signa nostra, possint repræsen-
„tare? His autem rebus consideratis
„devotè supplicamus accedentes ad
„hanc Artem, seu studentes in ea-
„dem, quatenùs ardore scientificæ
„Charitatis moti, in *impropriis* nostris
„dictis (si fortè in ea inciderimus)
„ad partem tutiorem attendant, &
„non ad ea, quæ dicere videmur,
„sed

„sed quæ dicere intendimus, condes-
„cendant: aut etiam si fortè falsam
„inducimus conclusionem, hunc im-
„peritiæ nostræ errorem impendant:
„quoniam si ignoranter artifex errat,
„non est attribuendum ipsi Arti,
„cùm ipsa Ars sit necessaria, ut de ne-
„cessitate intendimus declarare.

„Et adhuc, etiamsi nimia nostro-
„rum sermonum improprietas (ut
„loquamur sententiosius) vel nostri
„ingenii, aut etiam traditionis insuf-
„ficientia aliquem errorem contra
„sanctam Fidem Catholicam præ-
„tendere videatur, *Correctionem Ec-*
„clesiæ Romanæ sacrosanctę suppli-
„citer *imploramus*; quoniam non ra-
„tione Artis, sed ratione ignorantia
„contigit errare &c.

Item Textum contentum in *Com-*
mento

mento dicti Doctoris, ubi in prima Parte figuræ Theologiæ sic habetur:
„Divina Essentia ratione sui non est
„conditionata agere, cùm sit com-
„munis Producenti & Producto.

Item Textum contentum in *prima Parte figuræ de A. dicti Commentii*, ubi Doctor exponendo se, sic inquit:
„Sed hìc intelligendum est, quando
„dicimus, *Bonitatem Bonificare*, seu
„*Essentiam Essentiare*, hoc dicimus
„sub ratione Suppositi, id est, quòd
„Pater generando Filium commu-
„nicat Filio, quidquid habet: & ideo
„atingitur conditio simpliciter sub
„ratione Bonitatis, scilicet sub ratio-
„ne Suppositi boni personalis.

In fine cujus *Commentii submisit omnia sua dicta Correctioni Ecclesiæ*, formaliter per hæc verba: *Quare si quis*

*error fortè contra Fidem Catholicam in
hoc Opere, ac etiam in aliis quibuscumque
Libris nostris videatur, suppliciter & de-
votè requirimus Correctionem sacrosanc-
tæ Ecclesiæ.*

ET quia ad prædictam *Subreptio-*
nem fundandam apparebat dictis
amicis, supra inserta sufficere, & eti-
am (ut prolixitati parcatur) alia *fal-*
sata per dictum Fratrem Nicolaum
Eimerici, ad præsens (ut dixerunt)
non opus erat producere; quæ om-
nia superiùs posita, seu inserta, per
Nos dictum *Commissarium* attentè
lecta, diligenter recognita, & intelli-
gibiliter considerata fuerunt; habita
siquidem per nos deliberatione ma-
tura, & digesto Consilio cum exper-
tis in similibus & peritis; cùm per
posita & producta superiùs coram
nobis

nobis & aliàs, clarissimè constet nobis, quòd dicta *Bulla*, attenta ejus forma & aliis judiciis perspicuis superiùs tactis, est evidentissimè, saltem de *falsitate* suspecta.

Item quòd per allegata & producta, ad ostendendum seu probandum *Obreptionem* aut *Subreptionem* dictæ *Bullæ* demonstratur evidenter, quòd posito, quòd ipsa non fuerit falsa, nullo modo poterat excusari, quòd non fuerit *subreptitiè impetrata*; cùm per tenorem dictæ *Bullæ* videatur, quòd tota ratio impetrationis ipsius fuit *Affirmatio*, quòd in Libris prædicti *Doctõris* erant plures *Artituli* erronei & hæreticales; quorum *Librorum*, per *Documenta* authentica superiùs inserta, videtur apertè, prædictum *Fratrem Nicolaum Eimerici*, tunc
Inqui-

Inquisitorem, mutasse & corrupisse
verba prædicti Doctoris, & etiam
mentem & intentionem, quam ha-
buit, Catholicam, prout monstrat
apertissimè finis, seu finalis conclusio
Librorum dicti Doctoris Raymundi;
in quibus expressè submittit scripta,
dicta & edita per ipsum, *Determina-
tioni & Correctioni Ecclesie sacrosanctæ.*
Ex quo fundatur legitimè, sua scripta
non deviare à justo tramite Catholi-
cæ Veritatis, & detegitur, eliditurque
sinistra intentio, opinio & persecutio
Nicolai prædicti.

Et cùm utraque pagina attestante,
statuenteque, & mandante, impe-
trantes Literas, Provisiones, seu Res-
cripta per fraudem seu malitiam à
Summo Pontifice; veritatem tacen-
do, seu supprimendo, & falsitatem
fug-

suggerendo, vel exprimendo, in suæ
perverſitatis pœnam nullum ex tali-
bus commodum confequi poſſint,
ne eorum prætextu eſſet aliqualis po-
teſtas vel Jurisdictio attributa, cujus
virtute ſit aliquatenùs procedendum,
cùm Summus Pontifex tales Provi-
ſiones, ſeu Literas denegaffet, veri-
dicè informatus; aſſerens verò, potef-
tatem habere ab eo, cum qualitati-
bus ſupradictis, nullatenùs interpo-
nere poterat ſuæ cognitionis offici-
um, & conſequenter ejus occasione
de factò emanata ruunt, tanquam
carentia legitimo fundamento.

SENTEN-

SENTENTIA

DEFINITIVA.



*RO tanto Nos Bernardus
Episcopus & Commissa-
rius prædictus, Authori-
tate Apostolica nobis in
hac parte commissa, di-
cimus, volumus, & de-
cernimus, & pronuntiamus, quòd, quid-
quid inveniatur, quomodocumque, qua-
litercumque emanatum, mandatum,
comminatum, processum, factum, occa-
sione, autoritate, seu ratione dictæ sub-
reptitiæ, ac obreptitiæ Bullæ, & de fal-
sitate evidenti nimis suspectæ, teneatur
pro vano, casso, irrito, & nullo, & pro
infecto, seu non factò, ab omnibus repu-
tetur; sicut & nos ex potestate nobis at-
tributa,*

tributa, super his, quæ ex nostro Officio
nobili utimur, & uti volumus, prædictis
attentis, cassamus, irritamus, annulla-
mus, seu ad nihilum reducimus, redu-
centes etiam Authoritate Apostolica ip-
sum Doctorem Raymundum Lullium,
& omnia dicta, scripta & Opera sua,
& omnia alia ratione prædicta quomo-
documque, & qualitercumque, & per
quemcumque, & contra quoscumque,
& coram quibuscumque processa, & ac-
titata, ad statum pristinum, & primæ-
vum, ac si in contrarium eorum nihil
unquam fuisset dictum, scriptum, vel
aliàs quomodolibet emanatum: reser-
vantes, & submittentis Correctionem,
Determinationem, Authorizationem
Doctrinæ dicti Doctoris, Sedi Apostolicæ,
cujus est de talibus cognoscere, & ordi-
nare, sicut ipsemet Doctor, & verus Ca-
tholicus

tholicus expressè submittit. In quorum
omnium, & singulorum fidem, & testi-
monium præmissorum, præsentibus nostras
Literas, seu præsens publicum Instrumen-
tum, per Notarium publicum infra scrip-
tum fieri, & publicari mandavimus,
nostrique Sigilli appensione muniri. Da-
tum & actum Barcinonæ, sub Anno à
Nativitate Domini millesimo quadrin-
gentesimo decimo nono, die verò vigesi-
ma quarta mensis Martii, præsentibus
honorabilibus viris Dominis, Antonio
Zenon Decretorum Doctore Canonico
Papiensi: Arnolfo de Torrentis Consilia-
rio hoc Anno Civitatis Barcinonensis:
Bernardo de Marimundo majore die-
rum: & Francisco Servent Licentiato in
Legibus civilibus Civitatis Barcinonensis
pro testibus ad præmissa vocatis, rogatis,
specialiter & assumptis, ac me Gabriele
Cañelles

Cañelles Notario infrascripto.

Visa per me Episcopum præfatum.

Signum ✠ mei Gabrielis Cañelles Authoritate Regia Notarii publici Barcinonæ, qui præmissis singulis & omnibus, dum, sicut præmittitur, coram dicto Reverendo Domino Commissario, & per eum agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus præsens fui, hæcque scribi feci, ac Sigillo ipsius Domini hic apposito impendenti clausi, cum supraposito in linea secunda, *supponit Grandinocensi.* Et sexagesima quinta, *loco dicti.* Et octogesima quinta, *sum.* Et nonagesima, *supponit.* Et centesima trigesima octava, *Et primò de primo, sic dicemus.* Nullus Intellectus potest in via intelligere, Deum esse, sine habitu Fidei. Et centesima trigesima quarta,

& cre-

& credere. Et cum raso in centesima, vigesima quinta, distinctione. Et etiam cum supraposito in linea trigesima octava, Bullæ. Et etiam in linea centesima vigesima quarta, sed Deus est magis agens extensive: Deus causat suum signum agentis magis agentis extensive.

Et nos Bartholomæus Sureda, Canonicus ac Decanus Majoricensis, Reverendissimi in Christo Patris ac Domini D. Didaci, Divina favente Gratia, Majoricarum Episcopi, Vicarius in spiritualibus & temporalibus, unâ cum aliis in solidum, qui *transumptioni, comparationi, collationi* hujusmodi publici *Transumpti* interfuimus, cum suo Originali Exemplo superius memorato concordans comperimus: ideo eidem *Transumpto*, Authoritatem

ratem nostram judiciariam, pariter-
que Decretum manu nostra propria
interponimus, in majorem fidem
præmissorum.

Signum ✠ mei *Juliani Figueroes*,
Apostolica, per univèrsum mundum,
& Regia, per totam terram & ditio-
nem Illustrissimi & Serenissimi Do-
mini Aragonum Regis, Authoritati-
bus, Notarii publici Majoricensis,
hujus Exempli testis.

Signum ✠ mei *Hieronimi Servia*,
Civis Majoricarum, Authoritate Re-
gia Notarii publici, per totam terram
& ditionem Serenissimi Domini Ara-
gonum Regis, hujus Exempli testis.

Signum ✠ mei *Petri Litra*, Civis
Majoricensis, Authoritate Regia No-
tarii publici, per totam tetram & di-
tionem Serenissimi Domini nostri

Arago-

Aragonum Regis, qui hujus publici
Transumpti Transumptioni, Colla-
tioni, Comprobationi, Decretique in-
terpositioni, omnibusque & singulis
supradictis, unà cum prænominatis
Reverendo Domino *Vicario Generali*,
atque Contabellionibus, & Connota-
riis meis, personaliter interfui, eaque
omnia, & singula sic fieri vidi & au-
divi: ideòque hìc propria manu me
subscripsi, præcedente meo solito Sig-
no, unà cum appensione Sigilli Vi-
cariatus Ecclesiæ Majoricensis in ma-
jorem fidem ac testimonium omni-
um & singulorum præmissorum.

Et quod quidem Transumptum,
licèt manu alterius scriptum, fideliter
tamen per me, ac cæteros Connota-
rios meos comprobatum, continetur
in iis duobus pergamenis per me

con-

confutis. In quorum primo nonaginta novem lineæ; In secundo verò septuaginta novem lineæ continentur. Et pro majore declaratione, ultima linea primi pergameni finit per hæc verba: *De Civitate mundi Cap. de Fide.* Et prima linea secundi pergameni incipit per hæc verba: *Fides est habitus, cum quo &c.* Et ultima linea ipsius secundi pergameni finit per talia verba: *signum agentis magis agentis extensivè.*

Infuper constat de *Dictionibus suprapositis* in lineis primi pergameni, scilicet in quarta, & amicorum. Et vigesima quarta, quos. Vigesima septima habentes. Et etiam in eadem linea, & nominare. Et quadragesima secunda, millesimo. Et quadragesima quarta, hæc. Et pariter constat de *Dictionibus*

*tionibus ac literis rasis & correctis. In
linea octogesima tertia, licet ut in
condemna. In secundo autem perga-
meno constat de suprapositis, in linea
decima octava, alta. Et trigesima
tertia, vel manum. Et quadragesima
septima, est. Et quinquagesima, in.
Et sexagesima quinta, textum. Et de
Dictione rasa in vigesima prima linea,
Divina.*

COPIA hujusmodi in his tri-
ginta papyri foliis, licet manu aliena
scripta, desumpta fuit à suo Originali
pergameneo, in quo tractatur de
Doctrina Magistri Raymundi Lulli,
(prout superius latius continetur)
recondito & reservato in scrinio Ar-
chivi Domus Jurariæ Universitatis
Majoricarum, & cum eodem Origi-
nali veridicè comprobata, per me

Me!-

Melchiorem Tries Regia ac Imperiali Auctoritate Notarium publicum Majoricarum, & Archivarium jam dictæ Universitatis: in cujus rei testimonium, hîc appono Sigillum dicti Archivi; ut infra. Die videlicet Sabbati, decima sexta mensis Septembris, Anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo.

Constat de *supraposito*, in linea tertia primæ paginæ folii sexti, ubi legitur, *debitum*. Et de *lineato* in linea decima nona primæ paginæ dicti folii. Item de *correcto*, in linea undecima primæ paginæ decimi tertii folii, ubi legitur, *contentis*. Item de *correcto* & *lineato* in linea octava primæ paginæ decimi quinti folii, ubi legitur, *non valerent, non*.

Ut. Gregorius Fortesa Vicar. Gener.

ADMONITIO.



VM utilitati publicæ tuæque propriæ, Lector Candide, allaboro in edendis Illuminati Doctoris & Martyris B. Raymundi Lulli scientificis Operibus, ab incepto cogor tantisper deflectere tramite, ut Devotorum desideriis, Amicorum persuasionibus, & Studiosorum sollicitudinibus pro ingenita mihi indole satisfaciam: Exoptant plurimi Opus illud ejusdem B. Autoris, mole quidem magnum, sed præstrantiâ doctrinæ maximum, de *Contemplatione* inscriptum, attentâ meditatione ruminare, ut, dum intellectus omnigenâ ejusdem doctrinâ iustruitur, mens ad altissimam Dei considerationem evehatur. Raritas & caritas Exemplarium Moguntinorum hoc impedit, & moles onerosa incommodat: ut ergo tanquam Enchiridion hoc utilissimum Opus habeatur, minoribus
typis

typis illud edere in varios tomos distributum institui. Ejus utilitatem & excellentiam tuomet judicio ponderandam relinquo, ne Discipuli affectus tibi suspectum reddat elogium; solúmque adverto, te posse practicè in hoc Opere discere nullum esse omnino objectum, à sensu, vel intellectu, vel aliâ quâcumque potentiâ perceptibile, quod hujusmodi Libri manu-ductione ad Deum ipsum non te erigat, & ad tuam ipsius salutem operandam non inserviat.

In hocce, fateor, Opere inclusit B. Autor quidquid ad practicam, imò ad theoriam suæ Generalis Artis requiritur, quod quidem eâdem Generali Arte & Scientiâ referatur: eam ergo, ut perfectè istud Opus aliaque jusdem B. Autoris calleas, spretis vanis Capitosorum calumniis, in editis edendisque quantocius ejusdem Ill. Doctoris Voluminibus perdiscere satage; ejusdem autem ut pretium noscas, & ex ipso valorem hujus de *Contemplatione* Operis, cui manifestando illa deservit, perpendas,

hîc subnecto ex *Revelatione Secretorum
Artis Lullianæ* à Doctissimo Jvone Salzin-
ger præfixâ to. 1. Op. Lull. Mogunt. Ca-
put primum, quod est de Proprietatibus
& Dignitatibus Artis ac Scientiæ Genera-
lis: illudque prout ibi jacet stilo dialogisti-
co exaratum, inter Magistrum, B. scilicet
Lullum, & Discipulum, ipsum nempe Sal-
zinger, vel alium quemcumque Lullif-
tam, propono:

*De Proprietatibus & Dignitatibus Artis
ac Scientiæ in Genere.*

MAg. Multæ sunt Proprietates & Dig-
nitates meæ Artis & Scientiæ, quas
omnes longum esset enarrare, sed necessa-
rium, utile ac delectabile erit vobis scire
tredecim sequentes, quarum

*Prima est, quòd sit Universalissima ;
nulla enim Scientia aliquid tractat, nisi per
hanc Artem, aut per terminos hujus Artis,
aut reducibiles ad eos, aut resolubiles per
eos; Doctor Illum. in Introd. Art. Dem.
cap. 33. n. 4. f. 29. „nam principia figu-
„rarum*

rarum ob eorum maximam Universalitatem sunt valde sufficientia ad respondendum infinitis quæstionibus: Doctor Illum. in Lib. Prop. Art. Dem. Dist. 4. p. 2. de Quest. f. 41. hoc autem fieri oportet, ut infinitas implicitorum sub finitate explicitorum comprehendatur, existentibus terminis infinitis implicitis in terminis finitis explicitis, & infinitis definitionibus implicitis in finitis definitionibus explicitis; & sic de conditionibus, regulis & quæstionibus, ad hoc, ut Ars sit universalior seu generalior apta infinita implicita successive in suis explicitis explicare: Doctor Illum. in Art. Inv. Dist. 4. q. 9. K. K. f. 157. igitur omnis ratio, quæ fit, aut fieri potest, imò omne, quod fit, aut fieri potest, NB. quod est, aut esse potest, in ista Arte tanquam in speculo relucet, in quo omnes Scientiæ apparent. Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 34. n. 1. f. 29.

Est etiam Universalissima, quia est universalior, quàm Metaphysica & Logica;

nam

nam quamvis „ista Ars & Logica & Me-
„taphysica quodammodo circa idem ver-
„sentur, quia circa omnia est earum in-
„tentio, veruntamen in duobus differt ab
„aliis, videlicet in modo considerandi
„suum subjectum, & in modo principio-
„rum; Metaphysica enim considerat res,
„quæ sunt extra Animam, prout conveni-
„unt in ratione entis; Logica autem con-
„siderat res secundum esse, quod habent
„in Anima; tractat enim de quibusdam in-
„tentionibus, quæ consequuntur esse re-
„rum intelligibilium, ut puta, de genere,
„specie & de talibus, & de iis, quæ con-
„sistunt in actu rationis, ut puta, syllogis-
„mo, consequentiâ & talibus; sed hæc Ars
„tanquam summa & suprema omnium
„Scientiarum humanarum indifferenter
„respicit ens secundum istum modum &
„secundum illum. Differt etiam ex parte
„principiorum, quia Metaphysica princi-
„pia ponit, format & invenit, ut statim ea
„applicet actualiter ad probandas passio-
„nes aut proprietates de subjecto; Logica
„verò

verò regulas & considerationes omnes
ponit, ex quibus syllogizari possit; ista
autem Scientia nulla principia actualiter
exprimit, per se loquendo, ex quibus ar-
guatur, sed solum docet viam inveniendi
communia principia in quacunque Sci-
entia, cognitis terminis illius Scientiæ,
cujus vult principia invenire; & aliquã
notitiã habitã illius ponit aliquos termi-
nos principiorum, quibus possunt infinite
propositiones formari, quemadmodum
infinita verba formantur ex paucissimis
literis, videlicet ex literis Alphabeti &c.:
si tamen demonstrans per istam Artem
utatur propositionibus ab aliquo forma-
tis, est per accidens, quia demonstrans
per istam Artem non solum habet uti
istis principiis, sed formare & invenire
principia, & non solum communia prin-
cipia, sed etiam particularia: Doctor
Ill. in Introd. ad Art. Dem. cap. 1. n. 2.
& non solum principia particularia, sed
etiam quævis particularia ex principiis
particularibus aliarum Scientiarum prin-
cipiata:

cipiata: „ratio autem hujus est, quia hæc
„Ars super cæteras Scientias est universa-
„lis, ratione cujus universalitatis particu-
„laria aliarum Scientiarum per viam ra-
„tionis ad eam sunt reducibilia; idcirco
„cùm hæc fit omnibus generalior, huic
„omnes subesse debent, ut, dum fit ex
„particularibus earum judicium, depu-
„rentur & cognoscantur earum condi-
„tiones, quas habent per se, secundum
„conditiones, quas habent in suis univer-
„salibus principiis. Doctor Illu. in Comp.
Art. Dem. Dist. 2. de Reg. reg. 39. f. 88.

„Et licet hæc Scientia intendat de istis
„universalibus tanquam de primis causa-
„libus & essentialibus principiis, verunta-
„men principaliter intendit de universali
„actualiter causato seu constituto de ipsis
„primis & simplicibus principiis, quod est
„medium hujus finis, scilicet concludendi
„quodvis particulare sub illo contentum:
„istud autem universale est compositum;
„& quantò magis est compositum seu mix-
„tum, tantò plura particularia sub se con-
„tinet;

„tinet; quia quantò magis est compositum
„seu mixtum, ex tantò pluribus simplici-
„bus principiis constat: Doctor Illum. in
Comp. Art. Dem. Dist. 3. de Quæst. f.
147. & hoc est maximum Secretum.

*Secunda est, quòd sit Certissima & ma-
ximè Infallibilis: ratio hujus est, quia prin-
cipia hujus Artis in majori parte per se nota
sunt, imò notissima, scilicet ab experimen-
to sensuali & intellectuali, quorum pri-
mum tangit infimum gradum, infra quem
non patet descensus; secundum autem tan-
git supremum, supra quem non datur af-
census; sunt enim principia hujus Artis
de primitivis, supremis, essentialibus, subs-
tantialibus & realibus veritatibus: „illa
„verò, quæ fortè per se non sunt mani-
„festa, sunt per T. demonstrabilia, per-
„quirendo particulare in universali illius
„principii, quod indiget probatione: qua-
„re, si quis neget principia per se nota hu-
„jus Artis, non est cum eo conferendum;
„si verò neget ea, quæ per se nota non
„sunt, probentur ei, modo probandi hujus*

„Artis.

„Artis. Comm. Art. Dem. Dist. 2. p. 2.
reg. 26. f. 85.

Est etiam certissima & infallibilis ratio-
ne modi operandi cum principiis; *nam*
quot sunt camera in ista Arte, tot sunt prin-
cipia & regula infallibiles: Introd. Art.
Dem. cap. 22. fol. 12. unde cum modus
operandi nihil aliud sit, quam „regula &
„quædam utilis ordinatio ex necessariis
„principiis procedens, tanquam via com-
„pendiosa seu medium veniendi ad finem
„optatum, Art. Inv. Dist. 3. de Reg. f. 37.
sicut ipsa principia ratione suæ neces-
sitaris sunt infallibilia, sic regula operandi
cum principiis ratione suæ necessitatis
provenientis ex necessitate principiorum,
ex quibus procedit, necessario est infalli-
bilis; ut infra fusiùs probabitur in Capite
de Secreto Modi operandi. Præterea
„quia omnes trianguli T. & alii universa-
„les termini hujus Artis inveniuntur sim-
„pliciter & secundum suam mixtionem
„universalem in subjecto uniuscujusque
„Scientiæ seu Artis, omnes Scientiæ seu
„Artes

„Artes sunt concordantes ad invicem ad
„unum finem, & sunt unum subjectum
„hujus universalis Scientiæ, videlicet hu-
„jus Artis; (quod maximum Secretum
latuit Reformatores meæ Artis) „& ex
„hoc, quòd communia principia seu univer-
„salia hujus Artis simpliciter & secundùm
„suas mixtiones inveniuntur, & ita sunt
„necessariò de infimis particularibus cu-
„juslibet earum usque ad suum universale
„supremum, infallibiliter ergò, quantũ est
„de vi hujus Artis, procedunt conditiones
„& conclusiones hujus Artis in omni Sci-
„entia vel Arte: fallibilitas autem in ea
„contingere potest ex imperitia operantis,
„Com. Art. Dem. Dist. 3. de q. Y. n. 2.
f. 127. quemadmodum fallibilitas ope-
rantis in Arithmetica vel Geometria, qua-
rum principia & modus operandi de se
sunt infallibilia, ipsius imperitiæ, & non
Scientiis, est adscribenda. „Plures autem,
„qui non viderunt ista principia, credunt,
„in Scientiis particularibus multa solùm
„esse probabilia, quæ per Artem osten-
„duntur necessaria. ibid. Dist. 2. pag. 2.
de Reg. fol. 81.

Tertia est, quòd sit Subtilissima: Fili, cum homo sit conjunctus & compositus ex natura sensuali & ex natura intellectuāli, idcirco quidam homines habent subtilitatem sensualem, & alii habent subtilitatem intellectuālem, Lib. Contemp. Vol. 2. cap. 215. & aliqui habent utramque; & tales fuerunt antiqui Philosophi: unde cum Philosophi tractaverint de natura universaliter & particulariter, habuerunt subtilitatem compositam de rebus sensualibus & intellectuālibus: ibid. Quapropter, ut omnibus tribus generibus horum hominum satisfacerem, dedi Artem & Scientiam subtiliandi ingenium, quantum est possibile, in rebus sensualibus, in rebus intellectuālibus, & in rebus compositis ex utrisque; & ideo volumen secundum Libri Contemplationis composui de quinque Sensibus sensualibus, & de quinque Sensibus intellectuālibus; quia hi sunt instrumenta, cum quibus intellectus potest esse subtilis in rebus sensualibus & intellectuālibus: „& quia illi, qui incipiunt in rebus generalibus,

„ralibus, & descendunt, ut sint subtiles,
„ad res speciales sensuales, non possunt
„habere tantam subtilitatem, ut illi, qui
„incipiunt in rebus sensualibus, & ascen-
„dunt, ut sint subtiles, ad res generales;
„(& hoc accidit ideo, quia intellectus il-
„lorum, qui incipiunt in generalitatibus,
„descendit ad res sensuales, & intellectus
„illorum, qui incipiunt in rebus sensuali-
„bus, ascendit ad res intellectuales) ideo
„antiqui Philosophi in multis rebus fue-
„runt decepti respectu Magistrorum, qui
„tractant de Philosophia & Theologia
„perfectè & ordinatè per hoc, quia de re-
„bus inferioribus elevant suum intellec-
„tum esse subtilem in rebus superioribus
„& altis: ibid. & hæc est causa, quare in
Commento super Artem Demonstrativam
dedi vobis Regulam primam, supremam
ac universalissimam, quâ mediante posset
vester intellectus exaltari & subtiliari ab
infimo gradu rerum sensualium, de quibus
agit Philosophia, usque ad supremum gra-
dum rerum intellectualium, de quibus agit
Theo-

Theologia : & hoc ipsum docui in Libro de Ascensu & Descensu Intellectus. Et quia est impossibile, ut quis possit ascendere de infimo gradu usque ad supremum gradum Subtilitatis & subtilissimæ Veritatis sinè perfecta scientia Punctorum transcendentium (de quibus in Lib. Demonst., sed fusissimè & clarissimè in Arte Inv. regulâ octavâ scripsi) ideo Illuminatione supernâ mihi revelata est natura & usus horum Punctorum, per quos poteritis cognoscere omnes errores antiquorum & modernorum Philosophorum in rebus naturalibus demonstrandis commissos, qui horum Punctorum nullam omninò notitiam habuerunt.

Fili, inter hos Punctos supremus est *Fides supernaturalis & Ratio supernaturalis*; nam cùm intellectus creatus hominis tanquam ens finitum solis naturæ viribus non possit transcendere naturam finiti ad attingendum Ens infinitum, voluit Ens infinitum per suam gratiam dare intellectui instrumentum ad transcendendum suum

termi-

terminum naturalem, ut posset cognoscere
objectum supernaturale infinitum, quod
est finis, ad quem primario à DEO est
creatus: & hæc est ratio, quare in Libro
Contempl. Vol. 3. Lib. 4. Dist. 36. cap.
238. posui *Arborem Fidei & Rationis*, &
in Figura S., hoc est, Animæ rationalis
posui *Quadrangulum rubeum*, qui est Fidei,
& in Lib. Mirand. Demon. 2. cap. 27.
fol. 50. exposui, *quid sit Demonstratio su-
pernaturalis*: „unde cum Philosophi anti-
„qui non investigaverint veritatem cum
„fide, sed cum ratione tantum, sequitur,
„quod illorum scientia suo tempore non
„tantum valuerit, quantum nostra scientia
„hoc tempore, Lib. Contempl. Vol. 3.
„Lib. 5. cap. 364. quia sicut Philosophi
„antiqui habuerunt introitum & modum,
„ut essent subtiles, per hoc, quia habue-
„runt cognitionem de quinque generali-
„tatibus universalibus & de decem præ-
„dicamentis, in quibus versatur tota subti-
„litas philosophica, sic nostri Sapientes &
„Magistri habuerunt modum & semitam,
„ut

„ut essent subtiles in Theologia, quia ha-
„bent fidem & cognitionem, quid sit Ani-
„ma, & quid sint suæ virtutes & qualita-
„tes. Lib. Contempl. Vol. 2. Lib. 3. cap.
215.

Discite igitur Filii meam Artem, præ-
fertim verò materiam de Punctis transcen-
dentibus, & modum faciendi Demonstra-
tiones supernaturales; discite porrò non
nudâ speculatione, sed ipso experimento;
assequi id, quod supradictò cap. Lib. Mir.
Dem. & sequenti docui, & non ambige-
tis, Artem & Opus dictum esse subtilissi-
ma; „quæ Ars & Opus mihi fuerunt mul-
„tùm magni laboris & periculi sefualis &
„intellectualis; quia sicut magnum pondus
„offendit & destruit dorsum animalis, sic
„propter longitudinem & subtilitatem &
„novas & multas rationes habui multas
„pœnas, labores & pericula, & pertuli
„multas injurias & contemptus ab homi-
„nibus &c.; ita, ut multoties putarim, me
„periturum in hoc Libro Contemplationis
„propter meam fragilitatem, quæ est mul-
„tùm

„túm magna & misera , & propter longam
„continuationem & magnas subtilitates
„hujus Operis. Lib. Contempl. Vol. 3.
Lib. 5. cap. 366. p. 4.

*Quarta est, quòd sit Altissima simul &
Profundissima:*

*Primò quòd sit Altissima, nam ista Ars
ratione sua Universalitatis super ceteras Ar-
tes & Scientias ad altissima puncta perve-
nire docet, quæ per ceteras Scientias particu-
lares sive Artes attingi non possunt: Doctor
Illum. in Lib. Comp. super Art. Dem.
Dist. 2. de Reg. 21. de conditionibus ergò
hujus Artis est, quòd Artista suum E. altiùs,
quò poterit, extollat, eo modo, sicut exigit al-
titudo hujus Artis, ratione cujus altitudinis
est super ceteras Scientias universalis; quòd
si non, non poterit utique recipere influenti-
am hujus Artis: ibid. & ad altitudinem
hujus Artis nemo posset ascendere, nisi
ipsi præparassem tres scalas, quarum prima
habet decem gradus, secunda duodecim,
tertia quinque, scilicet sensibile imagina-
bile, dubitabile, credibile, intelligibile:
Lib.*

Lib. de Asc. & Desc. Intell. dif. 1. & quia „humanus intellectus duobus modis intelligit ; primus modus est , cum „sensu & imaginatione & cum sua propria „natura ; secundus est , quando intelligit „cum divinis Rationibus & cum sua natura, Doctor Illum. in Lib. Ser. cont. error. Averr. in prol. & per meam Artem non solum habeam demonstrare res naturales, sed etiam res supernaturales, ut sunt Articuli Sanctæ Fidei Catholicæ, quod videre poteris in diversis meis Libris, singulariter in Lib. Gent. & trium Sap. in Lib. Mir. Dem. in Lib. de Art. Fidei, ad hoc, ut errantes reducantur , & infideles adducantur ad veram Fidem, *quæ sublimis est secundum modum intelligendi cum altissimis divinis Attributis*, ibid. ideo DEUS mihi dedit altissimam Artem , quæ contineret in se *ambas species* intelligendi ; & hæc est *Ars Compendiosa inveniendi Veritatem*, quæ est *Ars, per quam sic ascendit intellectus ad intelligendum, sicut vox ad cantandum per Artem Musica*. Doctor Illum. in Lib. Eva.

4. c. *Et in terra Pax.*

Secundó, quòd sit *Profundissima* ratione humilitatis, sinè qua nemo unquam *Secreta* hujus divinæ Scientiæ & Artis assequetur: unde scito Fili, quòd hæc Scientia sit propriè Scientia parvulorum; nam sicut parvuli totam scientiam suam claudunt viginti quatuor literis Alphabeti, sic tota mea Scientia & Ars viginti quatuor literis Alphabeti comprehenditur; quas nisi te humilies addiscere: etiamsi viginti vel triginta annis Philosophiæ vel Theologiæ Doctor fuisses, nunquam *Secreta* meæ Artis intelliges. Fili, dum eram in hac mortali vita, *fui contemptus, vilipensus, pro stulto habitus* Arb. Scient. in prol. Lib. Desol. n. 7. 16. & 47. Lib. Phant. propter meam Artem, & amore humilitatis ac conservandæ & propagandæ Artis libenter omnia pertuli: unde & vos, si estis veri amatores veritatis, si mei Discipuli esse desideratis, non debetis derelinquere donum scientiæ, ut evitetis nomen stultitiæ: tu scis, quòd secundum meam Artem in
omni

omni creatura necessariò sunt opposita ; & quòd secundùm Philosophiam secretam intùs & extrà opponantur , sic sapientia & stultitia ; & quia melius est intùs , quàm extrà , melius est intùs esse sapientem , & extrà apparere stultum , quàm intùs esse stultum , & extrà apparere Sapientem : igitur , qui mecum cupit penetrare profunda Sapientiæ DEI, *quæ DEVS nobis revelavit per Spiritum suum* (*Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda DEI* 1. ad Cor. 2. v. 10.) *stultus fiat, ut sit sapiens, ibid. c. 3. v. 18.*

Disc. Pater , videtur mihi , quòd profunda Scientia & profunda Humilitas non possint simul stare ; nam quia *scientia inflat*, 1. Cor. 8. v. 1. quantò profundius penetrabo per scientiam , tantò magis ero inflatus per superbiam ; hinc bonum consilium puto , quod dedit Fides intellectui in Lib. Disp. Fid. & Intell. , quem fecisti , scilicet , ut *transeat* , *sicut transivit diu in tempore præterito* , & potiùs humiliter credat , quàm altùm sapiat ; præsertim cùm

Phi-

Philosophi antiqui non habuerint notitiam de tua Arte, per quod monstratur, quòd non sit multum proficua; quia si fuisset vera, jam fuisset inventa per illos in principio; & hoc ideo, quia illorum intellectus fuit magis altus, quam tuus: Illum. Doctor in Lib. De sol. n. 36. ex quo quis inferre posset, quòd nimium te implicaveris Scientiis usque ad curiositatem, & illas velut Dominas ac Magistras ingredi feceris &c., & quòd fueris tui proprii capitis, ac volueris calcare semitas nullis adhuc vestigiis pressas, non communicando satis cum Doctoribus tui temporis in opinione & concordia, R. P. Causinus in Cur. s. to. 4. sect. 14. f. 137. quæ dicta non congruunt humilitati.

Mag. paucis ad singula tibi respondebo, Fili, nam magna restat nobis via emetenda: scias igitur, quòd scientia non inflat per se, sed per accidens; corpora inflata turgent vento, & ideo videntur plena, sed sunt vacua; sic semper discentes, & nunquam ad veram scientiam pervenientes, exterius turgent falsæ & fucatæ scientiæ tumore

tumore, interiús autem sunt velut æs sonans aut cymbalum tinniens; *elati enim sunt inflatique vento memorativo, nam continuitas eorum consuetudinis est altera natura &c.*; hi veró non scientiam veri in reali re dant. Rig. in Lib. 7. Sigil. fig. 5. Fili quantò plús pertinges ad profunda meæ Scientiæ, tantò plures veritates infallibiliter cognosces de DEO & creatura, ergò tantò clariús cognosces magnitudinem DEI, & tuam parvitatem in omnibus, quæ in te sunt; ergò hæc scientia erit ratio tuæ voluntati ad te magis humiliandum, & non ad superbiendum: unde noveris, quòd mei Discipuli inter alia bona, quæ ex mea scientia lucrantur, habeant, quòd semper gaudeant, quòd mundum contemnant & omnem vanam gloriam, & quòd ament humilitatem & DEUM: audi, quid dixerit Monachus juvenis meus Discipulus ad suum Abbatem: *Domine, tam magnum est placitum, quod mihi venit de Scientia, quam addisco, per quam Philosophia mihi est causa habendi cognitionem*

*nem DEI, & tam felicem me aestimo, quod
sim in Religione, & fugerim é mundo, quod
diu noctúque sum in gaudio & placito; &
maximé cum mea Scientia me faciat tan-
túm contemnere mundum & vanam glori-
am, & me faciat amare humilitatem &
DEVM. Doctór Illum. in Lib. Evast. 2.
de Relig. cap. de vana Glor.*

Si legisti consilium, quod fides dedit in-
tellectui, etiam legeris, quomodo intel-
lectus ploraverit, & etiam nunc ploret,
*quod Dominus DEVS noster per paucos ho-
mines sit cognitus & dilectus, & per multos
ignoratus, & quod illi á pluribus derogetur.*
loco cit. quis, obsecro, Fili, non plangat,
si quotidie videt tot libros in lucem pro-
dire contra Sanctam nostram Fidem Ca-
tholicam scriptos, quibus oves errantes
per rationes apparentes & à Scriptura malè
errori suo accomodata petitas Pastorem
suum impugnant, quos errores omnes fa-
cilè possent detegere & destruere, si mea
Scientia esset cognita, quæ in hunc finem
principaliter à DEO mihi est data; ut in
ultima

ultima proprietate percipies?

Antiqui Philosophi non fuerunt principium totius illius, quod est bonum ad cognoscendum Sanctissimam Trinitatem & Incarnationem, quia non putarunt, in DEO esse Trinitatem Personarum, & futuram ejus Incarnationem, nec cognoverunt Productionem, quam DEVS habet in se. Lib. De fol. n. 37.

Quòd autem me arguas de nimia curiositate in Scientiis & reliquis, quæ suprà dixisti, videtur tibi deesse aut bona memoria, aut bona voluntas; nam vel non recolis, qualiter meam Scientiam habuerim, vel amas magis esse humilis per ignorantiam, quàm per scientiam; quid enim vis dicere cum Authore, quem allegasti, nempe *Scientias debere esse fideles ancillas Crucis, subjectas sanctæ humilitati?* P. Caussin. *ibid.* quæro ego, per quid? per falsitatem an veritatem, per ignorantiam an cognitionem, per dubium an certitudinem? Fili, in DEO sapientia & humilitas sunt æquales, quia sunt idem, per quod

quod demonstratur, quòd major perfectio utriusque possit esse in creatura per æqualitatem, quàm per inæqualitatem; ex quo responso elicies alterum in illo implicitum, scilicet, quòd sit inordinatus affectus deprimere unum, ut extollas alterum; & quia quilibet Sanctus tantùm amat gloriam alterius, quantùm suam, displicet Sanctis vestra partialitas.

Quinta est quòd sit *Perfectissima*: Fili, hoc dicitur perfectum, quod nec additionem recipit, nec diminutionem patitur: unde si ex perfectione Artificis cognoscitur perfectio Operis, quàm perfectum debet esse Opus, quod me docuit supremus Artifex? loquor de *Arte Generali, quam mihi DEVS in quodam monte* (in monte Randa) *ostendit*: Lib. Quæst. super 4. Lib. Sent. in prol. cùm igitur *DEI perfecta sint Opera*, Deut. cap. 32. v. 4. quid poterunt Emendatores meæ Artis illi addere, vel ab illa detrahere? Disc. fateor, charissime Pater, & ego fui quondam in numero illorum, qui Libros & Artem tuam corrigere

gere nitebantur. Mag. *correctioni librorum non des te omnino, Fili, sed intelligendo quantumcunque poteris, pauca opponas; libros enim plures corrigunt, & se ipsos ignorantes & errantes relinquunt.* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 40. n. 6.

Disc. Sed si quis negaret, Pater, te Artem tuam divinitus accepisse, non pauci enim fuerunt, qui hoc negarunt, imò aliqui, qui te histrionem, fanaticum & Discipulum diaboli proclamare non sunt veriti; quid posteris sint facturi, nescio, DEUS scit. Mag. Si vos anxietas tenet, Fili, à quonam Ars & Libri mei originem traxerint, ascendite in Arbores meas, gustate & videte; *nam ex fructibus earum cognoscetis eas, nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit, non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Math. 7. v. 16. 17. 18. Fili, secundum meam Artem Generalem ex præcedenti demonstratione particulari elicitur

citur sequens universalis: *omne bonum bonificat, & omne malum malificat, non potest bonum malificare, nec malum bonificare*: quis Christianus ausit negare, hanc Demonstrationem è Logica Christi petitam esse meliorem omni syllogismo in barbara methodo argumentandi Logicæ Aristotelis contento? nihilominus nolo, Fili, iudicium tuum esse ultimam regulam examinandi meos Libros & Artem, tu enim falli potes & fallere, sicut & ego potui; quæ possibilitas errandi obligat & compellit oves, ut recurrant ad Pastorem.

Unde in hoc suadeo, Fili, ut Discipulus imiteris me Magistrum, nisi miserè decipi & perire cupias cum ovibus errantibus, quæ falsò æqualem vel majorem infallibilitatem à supremo Pastore sibi attributam arrogant, quàm substituto in terris Pastori, non intelligentes proportionem, quæ debet esse inter utrumque: inspice omnia mea Opera, quæ non obstante quocunque superno lumine, quo fui illustratus, cum omni submissione & humilitate,

ut

ut morigerum filium decet, Censurę sanctę Matris Ecclesię subjeci; quorum omnium loco de omnibus, quę scripsi; primario & mihi pretiosissimo, scilicet Libro Contemplationis, sumas sequens exemplum.

„Nam si forsan in hoc Opere esset ullus defectus, vel ullus error, qui sit contra sanctam Fidem Catholicam, dico & affirmo, illum defectum esse meum, & in illo errore me errasse per ignorantiam, habens intentionem bonam, castam & catholicam, quem errorem non credo nec affirmo, imò rogo, ut ex hoc Opere ejiciatur; ideo non affirmo, in hoc Opere nullum esse errorem; & si quispiam in aliquo dubitaret, vel illi videretur, quòd esset error & contra Fidem, posset esse, quòd ipsemet erraret, & illud non intelligeret, & quòd sua intentio esset bona, sicut est possibile, quòd ego erraverim in hoc Opere, si erratum in illo est, habens intentionem non ponendi ullum errorem in hoc Opere, nec quidquam, quod sit contra sanctam

„sanctam legem Romanam. Doctor Illu.
in Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. 5. cap.
365. Ne formides igitur, Fili, nam si Ars
mea est donum Spiritus Sancti, idem Spi-
ritus, qui regit Sponsam suam in terris,
Matrem nostram, non patietur, illam huic
Arti esse contrariam, quæ (ut suprâ tetigi)
multa bona ab hac Arte recipiet.

Sexta est, quòd sit *Ordinatissima*: quia
perfectio & ordo necessariò mutuò con-
nectuntur, ex perfectione demonstratur
ordo, & ex ordine perfectio; nam omne
perfectum est ordinatum, & è converso:
si igitur mea Ars est perfectissima, etiam
erit ordinatissima. Disc. credo, & scio,
Pater, esse vera, quæ dicis; sed quia non
omnes credunt & sciunt hoc ipsum de tua
Arte, vellem, ut probares per rationes ne-
cessarias. Mag. Fili, prolixum fieret hoc
Caput, si singula demonstrare deberem;
adeant meos Libros, qui mihi fidem non
adhibent, illi enim testimonium perhibent
de me & mea Arte; percurrant sequentia
Capita, & invenient, quo dubium exuant:
sed

sed ne in via deficiatis, nolo vos hinc omnino jejunos dimittere; notate igitur ex opposito propositum: viginti literæ alphabeti sunt principia primitiva omnium syllabarum, verborum & constructionum ab illis derivatorum, sed non sunt principia naturalia, nec habent certum & determinatum numerum, nec habent naturalem ordinem inter se, nec mutuò necessariò connectuntur, nec quælibet cum qualibet est combinabilis, nec, qui tangit unam, tangit omnes, nec sunt circularia, nec una est subordinata alteri; hoc idem dicendum de syllabis, verbis & constructionibus, ex quibus formatur oratio vel discursus: plures adhuc defectus possem adducere de hoc Systemate artificiali linguarum, quod inquirere vos convenit infra Capite 3. in *Grammatica Naturali & Artificiali*.

Totum autem oppositum proponite vobis de mea Arte, & patebit, illam esse ordinatissimam; omnia enim Principia meæ Artis non solum sunt primitiva, suprema, vera & necessaria, sed realia ac naturalia:

vide

vide Art. Inv. Dist. 3. reg. 2. & habent certum & determinatum numerum, ita, ut nec unum possit addi vel demi: vide infrà cap. 3. de Musica, & inspice totam Artem Comp. inv. Verit. ac Art. Univ. Dem. Invent. Amat., & habent naturalem ordinem inter se, & mutuò necessario connectuntur, ut demonstrabo infrà dicto cap. 3., & quodlibet est combinabile cum quolibet, ut ad oculum patet in toto hoc primo Tomo, scilicet in Arte Universalis, Lib. Princ. Theol. Phil. Jur. & Med. item in Art. Inv. Dem. Tab. Gen. Ama. & Lecturis earum, & pluribus aliis meis libris; & qui tangit unum, tangit omnia, & sunt circularia, & unum est subordinatum alteri, ut in allegatis libris est cernere, & in sequentibus Capitibus per singula dabuntur exempla & demonstrationes: quod de principiis dixi, hoc idem intelligendum de Conditionibus & Demonstrationibus, quæ sunt syllabæ & verba rationalia ex literis rationalibus composita.

Septima

Septima est, quòd sit *Facillima*: Fili, id est facile, quod memoria facile retinet, intellectus facile intelligit, & voluntas facile vult, & potestas facile potest; hæc omnia promitto de mea Arte: id autem memoria facile retinet, quod est maximè ordinatum; intellectus facile intelligit, quod est maximè clarum & maximè intelligibile; voluntas facile vult, quod est maximè amabile; potestas facile potest, quod est maximè possibile.

Disc. hoc est in quaestione, mi Pater, expone quæso, quæ sunt hæc? Mag. nihil aliud, quàm *Circulus*, *Triangulus* & *Quadrangulus*: Arb. Scient. de ram. Arb. elem. fol. mihi 16. de flor. Arb. sens. f. 72. de fol. Arb. cœl. f. 251. in Arte Comp. Med. cap. de sexta fig. in Lib. de Astron. p. 2. cap. de 12. Sig. & in Pract. Test. cap. 5. 6. & seq. ac in pluribus meorum librorum: in his tribus figuris continetur totum Secretum meæ Artis: quid autem facilius posset memoria retinere, & intellectus intelligere, & voluntas

tas velle , & potestas facere , quàm has tres figuras? igitur pone in memoriam tuam , & intellige , & ama , & fac , ut possis opere formare has tres figuras , & tota mea Ars erit tibi facillima; *nam si habueris optimum intellectum fundatum in Logica & in Naturalibus , & diligentiam , poteris ipsam scire duobus mensibus , uno mense pro theorica , & alio mense pro practica* : Art. Gen. Ult. p. 13. quid facilius? Disc. certè; sed quid est esse fundatum in Logica & in Naturalibus? Mag. est intelligere prædictas tres figuras. Disc. jam scio, quod nescio. Mag. Fili , tu nescis modò , scies autem postea , scilicet in cap. 3.

Octava est, quòd sit *Delectabilissima* : quia omne naturale objectum est delectabile suæ naturali potentiaë, veritas, quæ est naturale objectum intellectus , & bonitas, quæ est naturale objectum voluntatis, & duratio utriusque , quæ est objectum memoriaë, sunt delectabilia: & quò magis hæ tres potentiaë excedunt in nobilitate & perfectione inferiores potentias, eò nobilior

lior & perfectior est earum delectatio ; & quò altiùs objecta vel objectum earum transcendunt objecta inferiorum potentiarum, eò magis transcendit delectatio horum delectationem illorum : unde cùm mea Ars & Scientia sit dispositio, quã dictæ tres potentiaë per influentiam supremi Objecti exaltari ac perfici possunt tam extensivè quàm intensivè sinè numero & mensura in operationibus suis, quis est, Fili, qui æstimare possit delectationem felicis Animæ, quæ usu meæ Artis fruitur suo delectabilissimo objecto ? *si autem utilitas ista te moveat ad sciendam hanc Artem, primò præpares te ad suscipiendum A. diligendo hanc cameram, & quamlibet ejus partem super omnia, postpositis omnibus aliis ; neque enim qui contrariis delectatur, unquam eam habebit, sed solus ille, qui eam quasi cordialissimam desponsavit ; cujus contrarium si occurrerit, illud repellas quasi venenum, semper cogitans, quòd eam præelegeris.* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 1. n. 4. f. 3.

Nona

Nona est, quòd sit maxime Necessaria: primò quoniam intellectus humanus est valde plús in opinione quàm in scientia constitutus, ex eo, quia qualibet Scientia habet sua propria principia & diversa á principiis aliarum Scientiarum, idcirco requirit & appetit intellectus, quòd sit una Scientia generalis, & hoc cum suis principiis generalibus, in quibus principia aliarum Scientiarum sint implicita & contenta, sicut particulare in universali: ratio hujus est, ut cum ipsis principiis alia principia sint subalternata & ordinata & etiam regulata, ut intellectus in ipsis Scientiis quiescat per verum intelligere, & ab opinionibus erroneis sit remotus & prolongatus. Doctor Illum. in Prol. Art. Gen. ult.

Secundò: „quia ista Ars seu Scientia addit plura, quæ in unaquaque Scientia per se considerata non sunt, videlicet „mutuam habitudinem & combinationem „terminorum principalium in qualibet; „quod patet per BC. BD. CD. CE. &c. „addendo in illa combinatione alios universales

versales terminos, qui non sunt simpli-
citer de speculatione illius Scientiæ: ac
etiam addit plura, quæ in aliis Scientiis
collectis insimul possunt minimè repe-
riri, videlicet *modum artificiatum operan-
di sub E. I. N. R., & modum artificiatum
universandi & particulandi sub mixtione
terminorum T., & attingendi puncta trans-
cendentia*: Doctor Illum. in Comp. Art.
Dem. Dist. 3. de Quæst. fig. alph. f. 154.
& hoc est tam altum Secretum, quòd hìc
non potest sufficienter declarari: *verun-
tamen sciendum est, quòd, licet hæc Ars in
omni materia necessaria sit, tamen propter
Theologiam principaliter est inventa; quia
Theologia est finis omnium aliarum Scien-
tiarum, utpote de ultimo fine determinans.*
Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap.
I. n. 4.

*Decima est, quòd sit Vtilissima: multæ
quidem sunt utilitates, propter quas hæc Ars
est inventa; instruit enim nos intelligere
& diligere DEVM, adherere virtutibus,
odire vitia, & confundere cogentibus Ratio-
nibus*

nibus Infidelium erroneas opiniones: docet etiam facere & solvere quæstiones, & alias Scientias sub brevi spatio temporis posse acquiri & reduci ad necessarias conclusiones secundum exigentiam materia, & ostendit inquiri & inveniri conditiones rerum & proprietates, & ad puncta transcendentia præsertim elevat intellectum; nec non alia multa utilia sequuntur scientibus istam Artem: Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. in prol. docet enim bene memorari, bene intelligere, bene velle, credere, contemplari, invenire, dirigere, predicare, exponere, solvere, judicare, consulere, demonstrare & bene sanare, uti in Libro, qui intitulatur Liber Artis Demonstrativæ Dist. 3. de Inten. fol. 43. dicitur. Doctor Illum. in Introd. cap. 1. n. 4. Et scias Fili, quòd sub cortice literalì dictarum proprietatum, quas in Lib. Dem. voco sedecim modos, lateat magnum Secretum Figuræ Elementalìs; nempe sub modo demonstrandi modus operandi.

„In omnibus ergò rationibus considera,
„si

„si hanc Artem invenire poteris, & inve-
„nies utique, si diligens inquisitor fueris;
„& sic practicam hujus Artis addisces, &
„miram utilitatem, si ad cameras hujus
„Artis rationes, quascunque inveneris, ad-
„junxeris; hoc enim faciens poteris te
„exercere ad videndum in paucis plura,
„comparando omnem cameram ad angu-
„los, & commiscendo cameras cum an-
„gulis, & angulos etiam invicem cum ter-
„minis quæstionis propositæ; & ex eorum
„derivationibus infinita occurrent &c.;
„sicut infinita genera miscibilium ex qua-
„tuor elementis tantum proveniunt secun-
„dum diversum modum commiscendi.
Doctor Illum. in Introd. cap. 34. n. 2.
fol. 29.

Vndecima est, quòd sit *Artificiosissima*:
magnitudo artificii significat sapientiam
Artificis: unde, qui totam structuram hu-
jus vastissimæ Machinæ, quæ est Opus ar-
tificiale DEI, in omnibus suis partibus &
partium partibus intimè perspectam ha-
beret, qui omnium vegetabilium, anima-
lium,

lium; mineralium essentiam, naturas, proprietates, formas specificas, ordinem & habitudinem naturalem cujuslibet ad alterum, qui elementorum & orbium cœlestium motus, influentias, essentialem inter se connexionem in essentia & qualitatibus perfectissimè cognosceret, in tantam admirationem raperetur tanti Opificis, ut non haberet ultrà spiritum; *à magnitudine enim speciei & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri*: Lib. Sap. cap. 13. v. 5. *à proportione inversa* argumenti dico Fili (si parva licet componere magnis) qui sciret potestatem & sapientiam, quam DEUS infudit primo Homini, quando illum constituit Dominum totius hujus mundanæ fabricæ, cerneret in hac potestate & sapientia creatis aliquod opus microcosmi (cujus solum nomen est notum pluribus Sapientum hujus sæculi) quod in singulis suis partibus partim actu existentibus, partim per Artem possibilibus respondet singulis partibus macrocosmi; & hoc est Secretum, Fili,

Fili, omnium Secretorum naturalium secretissimum, quod DEUS sublimis & gloriosus paucissimis fidelibus suis Servis reservavit & revelavit, cujus me quoque indignum suum famulum participem reddere voluit.

Fili, DEO omnipotenti, Domino Dominantium placuit mihi revelare universalem Scientiam in omni transmutatione metallorum nec non & lapidum pretiosorum, atque modum omnium corporum humanorum sanandorum, & DEVS omnipotens hoc ordinavit, ut sua mirabilis potentia apud universum mundum sit manifestata; & ignorantes mundi &c., qui impossibile arbitrantur, omnia ista vera esse, si libros nostros legissent (Fili, non hìc loquor de Libris meis chemicis tantum, quos in quaestionem trahunt, sed de Libris, quos primo Tomo jam in lucem profers, v. g. Clavem Artis, Libros Principiorum Philosophiæ ac Medicinæ, & si non omninò cæcutirent) facillimè crederent, omnia à DEO data & vera esse. Doctor Illum. in
Aper.

Aper. Ani. in prol. n. 2. *Fili, tu vidisti in figura magnum Librum, qui est Liber Paradisi terrestris, quem nos vidimus in visione; & dico tibi, ut eum custodias á manu inimicorum Ecclesie DEI & avarorum & peccatorum, ego vidi arcanum totius nature in visione super magno monte, super spheram ignis, ubi vidi ea, quæ non licet loqui. Et ut te non lateat ratio, quare plurimos meorum Librorum scripserim sub figura arborum, scias, quòd omnes significant unam arborem, cujus secretum & figuram tibi revelavi in meo Testamento, & in Dist. 3. Libri de Quinta Essentia; nam vidi arborem vitalem, & vidi figuram, quam tibi tradidi cum licentia DEI. Doctor Illum. Lib. 3. cap. 7. n. 14. Test. Secr. ult.*

Considera, Fili mi charissime, potentiam divinam, quæ me illuminavit, ille verus Dominus fortis est & clemens, potentissimus, piissimus, qui mihi indigno peccatori malevolo revelavit Arcana totius naturalis Philosophiæ: Doctor Illum. in Lib. Secret.

cret. Test. ult. l. 1. c. 1. n. 61. & non
solúm me docuit artificium omnium ar-
tificiorum naturalium altissimum, *viginti*
quatuor Experimentorum totius nature crea-
ta (videatur dict. Lib. Illu. Doct.) quod
claudit in se omne artificium & omnia
experimenta, ad quæ creatura rationalis
in hac mortali vita pertingere potest, &
quod forsan ante me nemo cognovit, &
post me pauci sunt adepturi, sed etiam
aperuit mihi artificium omnium artificio-
rum intellectualium sublimissimum, quia
dedit mihi Clavem omnis Scientia, & The-
saurum omnis Sapientia super terram: Doc-
tor Illum. in Lib. Secret. Ang. de Con-
fer. Vit. in prol. n. 14. hujus artificii
duas tibi explanabo formas in Capite se-
quenti; unam in Secreto Figurarum seu
Rotarum, alteram in Secreto Tabularum,
ex quibus à longè conspiciere poteris su-
blimitatem artificiosissimæ meæ Artis.

Duodecima est, quòd sit *Naturalissima*:
duæ sunt Naturæ, scilicet Natura creata,
& Natura increata: & *cúm mundus*, seu
natura

natura creata, sit speculum humano intellectui, per quod supremum Bonum, seu natura increata, est demonstrabile, Doctor Illum. Lib. Mirand. Dem. 2. cap. 34. n. 1. & supremum Bonum sit tam altum, tam excellens & tam nobile, quod per omne id, quod est, sit demonstrabile, ibid. l. 2. cap. 23. n. 1. manifestum est, Fili, quod nullum sit particulare vel individuum in tota natura creata, per quod natura increata non possit demonstrari: ex quo sequitur, quod tota natura creata cadat in *tertium Modum* meæ Artis Compendiosæ: unde cum totus modus essendi naturæ creatæ ordinetur à modo essendi naturæ increatæ ad modum significandi tanquam medium inter intellectum creatum, & objectum illius increatum, quanta est relatio *proportionis & comparationis* inter modum essendi naturæ creatæ & increatæ, & inter modum significandi & essendi naturæ creatæ, tanta debet esse inter modum significandi naturæ creatæ & modum intelligendi intellectus humani, ut
sit

fit naturalissimus: vide Dist. 3. Art. Inv. Verit. Reg. 9. & Reg. 2. vid. Lib. Cont. 4. Dist. 35. cap. 234. & Lib. 5. Dist. 40. cap. 353.

Ex dictis intelligere potestis, Filii, quanta fuerit necessitas significandi & demonstrandi vobis Systema totius naturæ creatæ per omnes suas partes, incipiendo à primis principiis ipsius Chaos usque ad ultimata principiata; sinè quo Systemate naturali & reali essendi perfectè cognito nunquam potuissem formare perfectum Systema artificiale intentionale intelligendi, quod vobis exponam per singula sua membra, jungendo unum alteri, ut clarissimè vobis pateat Secretum necessitatis utriusque concordantiæ: & quamvis in pluribus Capitibus Theoricæ antiqui Testamenti mei utrumque Systema perfectissimè demonstraverim per rationes phisicas ad leges meæ Artis Generalis regulatas, incipiendo à Chaos naturali per supremum Artificem fabricato, ut vos docet Caput 75. dicti Libri, & exponendo Cha-
os

os artificiale per hominem ad normam primi producendum, ut invenietis cap. 77. 78. ita, ut nil omiserim, quidquid pertinet ad acquirendam perfectam cognitionem totius modi essendi, operandi & intelligendi, ne tamen vos terreat phantasia ignarorum hujus Scientiæ, qui mihi hunc Librum attribuere renuunt, id ipsum in Libris primi hujus Tomi, scilicet in Arte Compendiosa, Arte Universali, Libris Principiorum quatuor Scientiarum & in Libris tertii Tomi, præsertim in Arte Demonstrativa lucidissimè patefactum invenietis; quorum Librorum textibus in sequentibus Capitibus utar, ut præfata Systemata eorumque Arcana vobis pandam, simulque demonstrem necessariam connexionem Librorum meæ Artis Generalis cum Libris Chimiæ & aliarum specialium Scientiarum. *Fili, si hanc rem intelligis bene, scies, qualiter omnes res mundi per naturam facta sunt, & quomodo eas facere poteris respectu nature (exceptâ Animâ rationali, quam DEVS creat) ideo cer-*

tas

tas artes habemus ad multas alias Scientias, de quibus hæc est una, quæ est forma ad sciendum omnes alias. Pract. Test. cap. 17.

„Ista, Fili, est Scientia, quæ appellatur
„flos regalis, per quam potest constitui &
„rectificari intellectus humanus per vim
„experientiæ ad aspectum oculi in mira-
„bili notitia, cum homo scit, quod suæ
„experientiæ non possint pati aliquas pro-
„bationes phantasticas, sed ad introeun-
„dum vivaciter in omnes alias Scientias
„illa demonstrat intellectui, quomodo
„debet penetrare in virtutes divinas, quæ
„multum debent celari: nam per talem
„Scientiam intellectus est expulsus à su-
„perfluitatibus, quæ ipsum removent à
„tota veritate. Et alio modo hæc Scientia
„nominatur vexillum & instrumentum
„philosophicum, per quod boni Philoso-
„phi & antiqui Poetæ direxerunt sensus
„suos in qualibet Scientia ad intrandum
„in illam cum omni experientia, quæ per
„Artem debet fieri secundum cursum na-
„turæ

„turæ cum reali cognitione; ut infrà Ca-
pitate 3. videbis de Trivio & Quadri-
vio antiquorum Sapientum. ibid. cap. 1.
„Quare ista Scientia fit tibi speculum tui
„intellectus, si claram viam vis habere in
„omnibus aliis Scientiis, quia ista demonf-
„trabit tibi rationem tangentem verita-
„tem per claram experientiam, quæ non
„patitur rationes nec probationes logica-
„les remotas à claro intellectu. Theor.
Test. MS. cap. 77. & impr. c. 73. quid
igitur magis naturale exoptare posses de
mea Arte ?

*Decima tertia & ultima est, quòd sit
Divina.*

Primò ratione originis, nam cùm sit
moraliter, ne dicam, physicè impossibile,
quòd ullo humano ingenio vel in una Sci-
entia particulari & specifica talia princi-
pia certa infallibilia & talis modus ope-
randi cum principiis certus & infallibilis
possint excogitari & inveniri, quæ sint
sufficientia ad omnia particularia illius
Scientiæ eruenda & demonstranda, ut
quoti-

quotidiana vos docet experientia per reformationem Scientiarum, quam Viri in illis Scientiis particularibus famosi meditati sunt, & adhuc futuris temporibus tentabunt & meditabuntur, de quibus verificatur, quòd *DEUS mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est DEVS ab initio usque ad finem*: Lib. Eccl. cap. 3. v. 11. quis enim Astronomorum, Fili, adhuc reperit perfectum Systema motuum cœlestium? quis ex illo deduxit calculum omnibus numeris absolutum? nonne cernis, Fili, vestros Sapientes Geometras principia Geometriæ, rejectis veterum finitis, novo habitu infinitatis vestire conatos, negare vel primam definitionem puncti, quam veteres ut lapidem angularem totius Geometriæ venerati sunt? quid dicam de Philosophia Aristotelis, nonne Libri tanti Philosophi undique pertusi & perforati sunt à vermibus Cartesii, ut Almagestum Ptolemæi à tineis Copernici? quàm difficile, quàm impossibile igitur erit tantam

tam Iliadem omnium Scientiarum & omnium rerum naturalium & supernaturalium comprehendere & concludere in una nuce capitis humani ?

Ex præcedentibus autem percepisti, & in sequentibus ampliùs perspicias, quòd mea Ars sit *universalis Scientia subjecta omnibus aliis Scientiis, in qua sunt certa & universalia principia, per quæ potest infinitorum particularium questionibus responderi*, Doctor Illum. in Art. inv. Part. in Univ. Dist. 3. q. 10. f. 35. Fili, in multis meorum librorum per argumenta invincibilia demonstravi, dari talem Artem, & illam à me inventam; *hoc tamen non lumine naturali, sed Sancti Spiritus gratiâ, per cujus infusionem ipsam scientiam decuit influi ad omnes scientias dirigendas.* Doctor Illum. ibid. fol. 38. cam. 13. Intelligas hoc de *Arte Generali, quæ mihi fuit data per Spiritum Sanctum, cum qua potest homo scire omnes res naturales, secundùm quòd intellectus attingit per sensus: est bona ad sciendum Jus, Medicinam, & omnes*

nes Scientias, & ad sciendum Theologiam,
quam teneo in majori estimatione: nulla Ars
tantum valet ad solvendum quæstiones, &
ad destruendum errores ratione naturali.
Doctor Illum. in Lib. Defol. n. 8. fol.
37.

Secundo est Divina ratione Principio-
rum hujus Artis, quæ sunt ipsæ *Rationes*
Divinæ, quæ nomine in Scholis usitato
vocantur *Attributa Divina*, à me verò
multis nominibus in meis libris nominan-
tur, ut *Formæ*, *Dignitates*, *Qualitates es-*
sentiales, *Virtutes &c.*: hæc verò Princi-
pia exigit perfectio & altitudo Artis, nam
finè illis non possent formari tales de-
monstrationes, quæ perfectè quietarent
mentem humanam, ut jam suprâ bene
animadvertisti, Fili, in Authoribus primæ
Classis fol. 52. Rat. 2.

In sequenti Tomo, qui continet usum
& praxin primi Tomi, videbis, quomodo
omnes meæ demonstrationes sint actu re-
ductæ, vel facilè reducibiles ad hæc su-
prema Principia.

Tertio

Tertio est Divina, quia modus operandi seu demonstrandi cum his principiis non est naturalis tantum, sed naturalis & supernaturalis simul: unde si de hoc modo informari desideratis, legite Lib. de Mir. Demonst. Lib. 2. cap. 27. fol. 50. *de Demonstratione, quæ est supra naturam*, qui habetur Tomo 2., & gaudebitis gaudio magno valde, si intelligetis, quæ ibi dicuntur.

Quarto est Divina, *maximè enim hæc Scientia assimilatur Scientiæ Divinæ, quæ cum sit unita Essentiæ Divinæ, omnia ipsi DEO representat, ita hæc quodammodo est representativa omnium, quæ cadere possunt sub investigatione humana brevibus & paucis*: Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 37. fol. 33. Tomo 3. Fili, multa Secreta in his tredecim proprietatibus continentur, quorum partem in sequentibus Capitibus, quantum discretio permittit, & necessitas exigit, vobis revelabo.

Ut hoc Caput finiam utili & vobis scitu necessaria admonitione ac informatione,

ne,

ne, quomodo hanc Artem & Scientiam, quam supernâ influentiâ me accepisse ex supradictis intellexistis, facilius & citius acquirere valeatis, scitote Filii, quòd Scientia est *infusa* aut *acquisita*; *Scientia infusa procedit ex voluntate, devotione & oratione; & Scientia acquisita ex intellectu, studio & labore*: Doctor Illum. Lib. de Amic. & Ama. n. 249. unde duæ sunt portæ, per quas mei Discipuli possunt ingredi in atrium meæ Scientiæ; quarum una est porta intellectus, altera est porta voluntatis: ex his portis procedunt etiam duo genera Discipulorum, quorum unum est nobilius & perfectius altero; & quandoque ex ipsis producitur tertium genus, quod est nobilius & perfectius utroque: & hoc fit dupliciter; quidam enim meorum Discipulorum primò ingrediuntur per portam intellectus, & egrediuntur per portam voluntatis; alii verò primò ingrediuntur per portam voluntatis, & egrediuntur per portam intellectus; & hi ambo in fine conveniunt; & hi mihi gratiores &


& mundo utiliores sunt duobus præcedentibus; nam habent habitum Scientiæ infusum & acquisitum simul: ex quibus colligetis, tres esse gradus Discipulorum, Magistrorum & Doctorum Lullistarum, positivum scilicet, comparativum, & superlativum; eligite vobis, Filii, ad quem horum trium ascendere vobis est animus: & ne media vos destituant ad perficiendum hunc ascensum, præparavi vobis in multis meorum Voluminum scalas valde commodas, quarum inter alias duæ sunt, nempe *Fides & Devotio*, quæ sunt scale, per quas ascendit intellectus ad intelligendum *Amati sui Secreta*, & *Fides ac Devotio* habent suum principium ab *Amato*, qui illuminat *Fidem*, & accendit *Devotionem*: Doctor Illum. Lib. de Amic. & Ama. n. 300. fol. 174. & quia hæc Doctrina est nimis curta, consulo vobis, ut adeatis *Artem Compendiosam invenendi Veritatem*, ejusque *Modum septimum de Oratione*, Dist. 2. p. 1. f. 13.; nam hic Modus est Clavis, quæ vobis aperiet Secretum

cretum Distinctionis quadragesimæ mag-
ni Libri Contemplationis, cujus Volu-
men tertium & Liber quintus ab initio
usque ad finem de Oratione tractat per
quingenta unum Capita fusissimè, in
quibus revelantur stupenda & omnibus,
Sapientibus hætenus incognita Arcana
Scientiæ & Sapientiæ: præcedens Distinc-
tio dicti Libri, scilicet trigesima nona de
Amore, habens quadraginta septem Ca-
pita aperiet vobis *portam secretam Volun-
tatis*: & ne putetis, mea promissa exce-
dere ipsa facta, dabo vobis horum speci-
men in Capite ultimo hujus Tractatus.

Subministratis Mediis convenit quoque
ostendere Modum, quo *Infusio* hujus Ar-
tis & Scientiæ comparatur: „ hic igitur
„modus discurrendi duobus modis effici-
„tur scilicet *per sanctam Vitam & Con-
„templationem*; nam quicumque ad ha-
„bendum Scientiam per infusionem la-
„borare nititur, oportet, eum in con-
„versatione sanctæ vitæ vivere, & ho-
„nestè, scilicet multum charitativum

„&

„& devotum esse, & habere totas sep-
tem virtutes in Anima ad repugnan-
dum vitiis (notate hìc Filii, unam ra-
tionem, quare virtutes posuerim in nu-
mero Principiorum meæ Artis) & sicut
hæc Ars ex universalibus principiis est,
in quibus perquiruntur particularia, ita
oportet, eum magis diligere generale
bonum; quàm speciale; alioquin re-
pugnaret regulæ hujus Artis, & per
hanc repugnantiam non posset à DEO
infusionem recipere, nec in hac Scien-
tia per consequens informari: Contem-
plationis sunt duæ species ad obtinen-
dam Scientiam infusam ab altissimi Lar-
gitoris gratia, quas ibi videre potestis; ma-
ximè verò in toto meo Libro Contem-
plationis: si enim ea, quæ ibi præscri-
buntur, diligenter opere quis executus
fuerit, *tunc hujus Scientiæ & aliarum
Scientiarum copiosam infusionem recipiet.*
Doctor Illum. in Art. inv. Part. in Univ.
Dist. 2. p. 2. n. 4. f. 5.





Muratori f.^o

BEATI
RAYMUNDI

LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI

ET

MARTYRIS


MAGNUS LIBER

CONTEMPLATIONIS

IN DEUM.

DEVS Vne in Trinitate Vnâ in Vni-
 tate: in tua Benedictione confidē-
 tes cum tuo Adutorio incipimus
 hunc Librum, quem appellamus
Librum Contemplationis in DEVM.

PROLOGVS.

I.  *Domine IESV Christe! Quē-*
 a. *admodum Tu in duplici*
Natura es DEUS, & Ho-
mo; ita, Domine, nos per
tuam gratiam incipimus
hunc Librum cum dua-
 bus

2 *B. Raym. Lulli Lib.*

bus Intentionibus. Prima Intentio est ad dandum laudem de Te. Secunda est, *Domine*, ut à Te recipiamus gloriam & Benedictionem.

2. Unde nos, *Domine*, invocamus tuam Misericordiam, ut nobis des Grati-
am & Benedictionem non procedendi in hoc Libro, nisi per istas duas Inten-
tiones tantum.

3. Sicut tu, *Domine*, repræsentas in Sanctâ Cruce quinque Vulnera; ita nos volumus dividere istud Opus in *quinque Libros.*

4. b. Et sicut tu, *Domine*, voluisti in deserto jejunare quadraginta diebus; ita, *Domine*, nos volumus dividere hos quin-
que Libros in *quadraginta Distinctiones.*

5. *Domine DEVS, Creator noster!* Si-
cut Tu Voluisti dividere Annum in tre-
centos sexaginta quinque dies; ita nos
volumus dividere has Distinctiones in
trecenta sexaginta quinque Capita.

6. Et sicut Tu, *Domine*, cuilibet An-
no superaddidisti sex horas, quæ in quar-
to anno faciunt unum diem; ita nos vo-
lumus addere super dicta Capita *qua-*

tuor

duor Partes constituentes unum Caput.

7. c. *O Domine DEVS!* Sicut tu Moyse voluisti dare decem præcepta; ita nos volumus dividere quodlibet Caput *in Decem Partes.*

8. Et sicut Tu, *Domine*, es Unus in Trinitate; ita nos volumus dividere quamlibet Partem in tres *Partes.*

9. *Domine IESV Christe!* Sicut Tu pro triginta Denariis fuisti venditus; ita nos volumus dividere quodlibet Caput *in triginta Partes.*

10. d. Sicut, *Tu Domine DEVS*, creasti novem Cœlos; ita nos volumus *primo Libro* attribuere *novem Distinctiones.*

11. *IESV Christe Domine!* Sicut Tu cum Apostolis constituisti numerum tredecim; ita nos volumus attribuere *secundo Libro* *tredecim Distinctiones.*

12. Et sicut, *Tu Domine DEVS*, homini appropriasti decem Sensus, quinque Corporales & quinque Spirituales; ita nos volumus attribuere *tertio Libro* *decem Distinctiones.*

13. e. *O Domine DEVS!* Sicut Tu hominem posuisti inter sex Rectitudines; ita

ita attribuimus *quarto Libro sex Distinctiones.*

14. Et sicut, *Tu Domine DEVS*, homini dedisti duas Intentiones; ita nos volumus attribuere *quinto Libro duas Distinctiones.*

15. *Domine DEVS!* Sicut Tu es Unus DEVS; ita nos de his *quinque Libris* facimus unum, quem nominamus *Librum Contemplationis in DEVM.*

16. f. Et sicut, *Domine*, mea mens longo tempore stetit in hac valle tenebrosa; sic nunc volo illam elevare, & erigere ad Te, ut per tuam gratiam & Benedictionem omni tempore contempletur in Te.

17. *Domine DEVS!* Sicut Tu es Causa omnis Boni; ita nos confidimus in tua Contemplatione, quod ipsa sit perfectio & absolutio hujus Operis.

18. P. Sicut, *Domine*, homo culpabilis stat ante suum Dominum supplicans & petens gratiam; ita nos, *Domine*, supplicamus Tibi, & petimus gratiam ante tuum benedictum Altare, & ante Sanctam Crucem, ut nos dirigas, & adjuves.

19. g. Nam, sicut Tu, *Domine*, in vera Cruce recreasti totum mundum; ita nos habemus spem in Te, quòd nos liberares ab hoc Opere, quod nobis est valdè onerosum.

20. *O Domine DEVS!* Sicut homo, qui inamoratur, incipit amando cum Lætitia & audacia; ita nos incipimus hoc Opus cum magna lætitia & magna audaciâ per vim magni amoris; quapropter rogamus Te, *Domine*, ut totum hoc Opus facias devenire in Amorem & Lætitiâ.

21. Et, sicut Marinarius, *Domine*, qui est in magno pelago, & habet spem in Te, quòd ipsum extrahas de illo cum Lætitia; ita *Domine*, habemus spem, quod nos extrahas de isto magno Opere, quod nobis est nimis ponderosum, per vim magni Amoris, & Lætitiæ.

22. h. *O Domine DEVS!* Tu scis bene, quod homo, quando fortiter est oneratus, desideret, quòd deoneretur à gravi onere, quod portat; ita, *Domine*, nos desideramus, quòd per tuam gratiam deoneremur ab hoc opere; quia nobis est onus nimis magnum.

23. Veruntamen, *Domine*, sicut homo magno periculo se exponit, ut consequatur hoc, quod multum amat; ita nos libenter nos exponimus periculo in Tractatione hujus Operis.

24. Sicut homo, *Domine*, qui elevat grave onus, impendit omnes suas vires ad elevandum illud; ita nos impendimus omnes nostras vires in dictatione hujus Libri.

25. i. Et, sicut lepus, *Domine*, quem leporarius persequitur, indiget omnibus suis quatuor pedibus; ita nos indigemus in hoc Opere omnibus nostris viribus.

26. Sed, sicut ego, *Domine*, non veni in *esse* per meas vires; ita, *Domine*, hoc tam grave onus hujus Operis non potest venire ad perfectionem per me.

27. Vnde, cum omnes nostræ vires, *Domine*, sine tuis deficerent ad portandum hoc onus, rogamus Te, *Domine*, ut nos cum tua virtute confortes, & nos adjuves, ut possimus portare hoc onus.

28. k. O *Domine vere DEVS!* Postquam fuimus locuti de Prologo hujus Operis, convenit, quod intremus in illud & veniamus

niamus ad Distinctiones & ad introitum ipsius.

29. Et sicut Tu, *Domine*, fuisti in Principio Prologi, & in Medio & in Fine, ita speramus, quòd eris etiam in toto Opere.

30. Tu, *Domine*, benè scis, quòd ego sim vilis & pauper per naturam & per mea mala opera; quapropter non sum dignus, quòd meum Nomen scribatur in hoc Opere, nec quòd hoc Opus mihi attribuatur; & ideo meum nomen non appono, imò ipsum deleo ex hoc Opere, & illud attribuo & do Tibi, *Domine*, qui es noster Dominus
DEUS.



VOLUMEN I.


LIBER I.

DISTINCTIO I.

DE LÆTITIA.

CAPUT I.

*QUOMODO HOMO DEBEAT LÆ-
tari, quia DEVS est in Esse.*



*EV S Pater, Domine uni-
versorum, quæ sunt! Si
homo, qui invenit pre-
tiosum lapidem, valde
lætatur, propter illius
inventionem, quia vi-
det, quod sit pulcher,
& scit, quod sit valde bonus; est certè
ratio-*

rationabile, quòd nos, qui scimus, quòd Tu sis in *esse*, lætemur in tuo *esse*, quia est in *esse*, & non in privatione; nam, qui lætatur de inventione rei finitæ, est valde mirabile, si non lætatur de inventione rei infinitæ.

2. Tu scis, *Domine*, quòd homo, qui invenit Thesaurum, vehementer lætetur, quamvis ille Thesaurus ipsi non possit dare vitam, nec ipsum eripere à morbo: igitur ille, qui in suâ mente perpendit, quòd Tu sis in *esse*, & des vitam, & eripias ab infirmitate, certè est stultus, si non magis lætetur de Te, quàm de Thesauro, quem invenit.

3. Unde, cum nos verè sciamus, *Domine*, quod tu sis in *esse*, lætamur valde magnâ latitiâ in Te, quia valde magnum bonum sequitur ex hoc, quòd Tu sis in *esse*.

4. b. *Domine DEVS* ! Quando homo est in aliena terra, & invenit ibi suum fratrem, vel suum filium, quem longo tempore non vidit, est multum lætus satisfactus & consolatus cum illo: Unde, cum nos venerimus de privatione in *esse*,
&

& invenerimus Te in hoc mundo, quilibet debet esse multum lætus & consolatus in Te, qui es inventus esse noster Pater & Creator & Benefactor.

5. Quamvis ita sit, *Domine*, quod homo, qui invenit suum fratrem, sciat, ipsum non habere potestatem remittendi ei sua peccata, nec habere potestatem restaurandi eum à morte, neque dandi ei vitam, nec ipsum custodiendi ab inferno, & tamen habet magnam lætitiā de inventionē illius; quare igitur nos non lætamur de inventionē Tuā, qui habes potestatem nobis remittendi peccata, & nos adjuvandi, & nos custodiendi ab infernalibus pœnis?

6. Scias, *Domine*, quoniam est tam rationabile, quod lætemur in Te, ego lætabor in Te amando, & in Tibi ferviendo, & in Te laudando ex tota mea potestate.

7. c. *O Domine DEVS!* Sunt multi homines, qui in diebus festis incipiunt lætari propter ipsos, & ornant suas domos, & sua vestimenta, & faciunt magna conviviva: Unde, cum tu *Domine* sis nostra
quies

quies & nostrum festum, convenit, quòd lætemur & vestiamur virtutibus, & nostrum cor mundemus ab omnibus vitiis, & ducamus in nostras domos pauperes, qui pro amore Tuî petunt.

8. *O Domine Sancte & Benedicte!* Tu scis, quòd in diebus festis Dominus domûs mandet suis famulis, ne faciant opus fervile, & quòd quiescant, & illos colant; igitur nos propter honorem hujus festi, quod habemus propter inventionem Tui *esse*, dicemus nostris membris, quod ipsa illud colant, & non sint nisi in Contemplatione Tuî.

9. Istud festum, *Domine*, quod nos debemus celebrare propter tuam inventionem, non debet esse simile aliis; nam alia festa sunt in uno tempore, & non sunt in alio; sed festum, quod homo debet facere de Te, deberet semper durare, & tempus non deberet illud comprehendere.

10. d. *O Domine Creator Univerſorum, quæ sunt!* Sicut creaturæ dant significationem & demonstrationem tuæ magnæ Nobilitatis, & Bonitatis; ita deberet esse
mag

magna Latitia, quam nos habemus in Te.
 11. Veruntamen creaturæ, *Domine*, non sufficiunt ad dandum demonstrationem, nec ad significandum totam tuam Bonitatem, imò deficiunt in hoc, tam altus & Nobilis Dominus es Tu; & propter hoc, *Domine*, nos non sufficimus ad habendū lætitiā & placitum in Te, secundum quòd pertineret ad tuam Bonitatem & ad tuam altitudinem.

12. Sed Creaturæ, *Domine*, nobis adhuc multò meliùs demonstrant tuam magnam Bonitatem & Nobilitatem, quàm nos sciamus lætari in ipsa, & hoc est propter nostram fragilitatem & miseriam, quia non volumus cognoscere hoc, quod possemus cognoscere.

13. e. Tu *Domine DEVS*, bene scis, quòd tui servi tantum deberent lætari in Te, usque dum nulla tristitia, nec ira ad ipsos posset accedere.

14. *O Domine vere DEVS!* Rogo Te, quòd tunc, quando ego lætabor in Te, Tibi placeat claudere omnia foramina, per quæ in me intrat tristitia, ut non possit pervenire in me.

Ape-

15. *Aperi, Domine, omnia foramina, & omnes portas meae domûs, ut tota impleatur gaudio & lætitiâ, quam nos debemus habere, quia Tu es in esse.*

16. *f. O Domine DEVS, in quo est Libertas & Gratia! Si aliqui homines volunt lætari, & volunt se totos implere gaudio, veniant ad me; nam invenient me ita plenum Lætitiâ, sicut fons exundans est plenus aquâ.*

17. *Et, si contingat, Domine, quod veniant ad me, & me Interrogent: ubi est ille magnus Thesaurus, per quem homo recipit perfectum gaudium & perfectam lætitiâ? scias, Domine, me eis esse dicturum, quòd ipsum invenient in cogitatione hominis imaginantis magnum bonum, quod sequitur de Tuo esse per hoc, quòd sit in esse.*

18. *Et, si veniant ad me, Domine, & recipiant lætitiâ & gaudium, quæ poterunt recipere, tantum poterunt secum auferre, quousque nec malum nec dolor, nec tristitia inveniant locum in illis.*

19. *g. O Domine vere DEVS! Quodnam cor posset comprehendere Virtu-*

tem & Bonitatem tui *esse*? nullum; nec convenit, *Domine*, quòd ullum cor possit comprehendere lætitiā, quam homo exinde debet habere.

20. *O Domine*, ! Ubi sunt oculi, qui videndo possint comprehendere tuam Bonitatem? & quænam linguæ possent nominare tuas Virtutes? & quænam aures possent audire laudes, quæ pertinent ad tuam Bonitatem?

21. Certum est, *Domine*, quòd, si ego non habeam lætitiā & gaudium de Inventionē Tui *esse*, dicam meæ animæ: Scias, quòd, si non læteris in inventionē tui Creatoris, dolor & labor & pœna tibi præparati sint omnibus temporibus sustinendi.

22. h. *O Sancte Sanctorum!* tanta est tua Nobilitas & tua Altitudo, quòd non capiatur in toto mundo: igitur, *Domine*, est conveniens, quòd nostra lætitiā, quam habemus in te, non capiatur in nostro corde.

23. Igitur Gloria & Benedictio sit tibi Pater, qui hanc lætitiā tantum auxisti, quòd non capiatur in corde nec
in

in corpore hominis, nec etiam in toto hoc mundo, imò fit major, quàm totus mundus.

24. Unde adoreris, *Domine*, & sanctificeris & colaris & tibi serviatur, qui mihi dedisti gratiam, quòd ego possim dicere meo cordi: O quàm bona fors tibi adveniet ideo, quia tu lætaris in Inventionem tui Creatoris, & quantum bonum tibi advenit ideo, quia ipse est in *esse*?

25. i. Honor & reverentia fiat tibi, *Domine DEVS*, qui tuo servo fecisti tantam gratiam, quòd suum cor natet in gaudio & lætitia, sicut piscis natans per mare; quod gaudium & lætitia, *Domine*, illi tunc venit, quando considerat, quòd tuum *esse* sit in *esse*.

26. Nam tu, *Domine*, dedisti mihi tantam gratiam; quòd, quocúnque vado, vadam lætus, & ubicúnque sum, sum lætus, & quocúnque verto meam faciem, sum lætus.

27. Et ratio, quare hoc mihi contingit, est, quia ego sum totus in Te, & Tu, *Domine*, es totus gaudium, & lætitia.

O Do-


28. k. *O Domine DEVS!* sufficerentne mihi noctes & dies pro lætitia & gaudio, quæ ego sentio, quia Tu es in *esse?* & sufficientne mihi verba ad laudandum & benedicendum Te?

29. Si fortè, *Domine*, mei dies sunt breves, propinqui sunt mei dolores & meæ tristitia; nam ego in præterito tempore non fui lætatus in Te, nec dedi laudem de Te.

30. Gloria & Benedictio sit Tibi, *Domine*, per omnia tempora, qui es Spes iustorum & Misericordia nostrum peccatorum; & placeat Tibi, *Domine*, aperire nostra labia ad dandum laudes de Te, qui es noster Dominus DEVS.

CAPV T. II.

QVOMODO HOMO DEBEAT LÆTARI, quia ipse est in Esse.

I. a.  *Domine DEVS, laudatus & benedictus sis Tu!* Nam homo debet multum lætari, quia ipse est in *esse*, &
non

non est privatus ipso *esse*; igitur nos, qui sumus certi, quòd simus in *esse*, lætabimur; nam quinque sensus nobis demonstrant *esse*, in quo sumus, quia oculis videmus, & auribus audimus, & naribus odoramur, & ore gustamus, & carne sentimus.

2. Ergo sicut nobis est, *Domine*, multò melius esse in *esse*, quàm esset, si non effemus in *esse*; ita convenit, quòd multum lætemur, quia sumus in *esse*.

3. Et propterea, *Misericors Domine*, Cùm ego in veritate sciam, me esse in *esse*, & videam, meum *esse* nullo modo esse in privatione, debeo inde lætari in tantum, quòd tristitia nullo modo sit in me.

4. b. *O vera Lux, Splendor Justorum!* Si homines habent placitum & lætitiã, videndo arbores frondosas & florentes & habentes maturos fructus, & videndo ripas, prata & nemora, bene debent habere placitum de se ipsis in hoc, quòd videant & sciant se esse in *esse*; nam, qui lætatur de Bonitate & pulchritudine, quæ est extra se, multò magis debet lætari,

B

tari,

tari, de ea, quę est intra se.

5. Unde, quia tam magnam rationem lætandi habemus, *Domine*, scias, quod vehementer lætabimur in tantum, quòd propter magnam lætitiā, quam habebimus, nobis videatur, quòd somniemus tunc, quando imaginabimur magnum bonum, quòd est in nobis, quia habemus *esse*.

6. Unde laudes & gratias Tibi, *Domine DEVS*, agit tuus servus, quia illius fuisti memor; & in suo corde posuisti lætitiā, quam ipse debet habere de suo *esse*; quia non est in non *esse*.

7. c. *O Domine DEVS gloriose & mirabilis!* Homo, qui somniat, quod sit mortuus, quando evigilat, & invenit se vivum, habet valde magnam lætitiā; ita, *Domine*, nos debemus lætari, quando videmus, quòd simus in *esse*.

8. Unde, sicut homo ebrius ita fortiter comprehenditur à viribus vini, quòd vix sit in suo sensu; ita, *Domine*, ego sum tam lætus, quia habeo *esse*, quòd vix sim in meo sensu.

9. Et ita lætor, *Domine*, quòd faciam
am

am ex gaudio, hilaritate & lætitiâ meam domum, & cameram & lectum & vestimenta & pileum.

10. d. *O Sancte Sanctorum!* Quando contingit, quòd ego cogitem in eventum mei *esse*, & videam, quòd *esse* hominis sit nobilius *esse*, quod Tu creasti; tunc, *Domine*, gaudeo, lætor, & sum ita satisfactus, quòd est quid mirabile.

11. *Domine DEVS!* Nos jam videmus, quòd bestix lætentur, in hoc, quia videmus illas currere & saltare, & ludere; & videmus, quòd aves lætentur cantando & volando per aërem; & videmus, quòd pisces jocentur in mari natando; unde, si ista animalia lætantur, quæ non habent cognitionem Tuî, quantò magis igitur nos debemus lætari?

12. Unde Laus & Gloria & Benedictio sit Tibi, *Domine*, qui nos direxisti, & nobis dedisti exemplum, quomodo debeamus lætari in nostro *esse*.

13. e. *O Domine Liber & recognoscens!* Tu scis, non esse mirum, quòd in illo homine non sit lætitia, qui non amat; nam amor est tam bona & nobilis res, quòd

quòd nullus homo finè illo sit dignus lætari.

14. Tu scis, *Domine*, quòd tunc, quando ego non lætabar ratione tui *esse*, quia est in *esse*, non erat mirum, quòd non lætarer ratione mei *esse*, quia est in *esse*; nam, quoniam tuum *esse* me non lætificabat, ideo non eram dignus, quòd meum *esse* me lætificaret.

15. Sed, si ego modò non essem lætus, cùm me inamoraveris de tuo *esse*, & de meo, effet mirum de me, si non lætarer; & effet mirum de re, quæ me impediret à lætitiâ.

16. f. *O Domine vere DEVS, liber & cognoscens!* Valde miror de me, quando recolo tempus præteritum; nam recolo, quòd ibam finè lætitiâ, & stabam finè lætitiâ; ubi igitur erat, *Domine*, Lætitiâ, quæ in me debebat esse?

17. Unde à Te peto gratiam, *Domine*, ut Tibi placeat, quòd in hoc tempore, in quo Tibi placebit, quòd ego vivam, semper sim lætus; ita, quòd cum lætitiâ vadam, & sedeam, dormiam, & vigilem; & quidquid faciam, semper sim lætus.

Un-

18. Unde ego invoco tuam gratiam, *Domine*; ut Tibi placeat mihi dare, quòd, sicut totum meum *esse* est in *esse*, ita totum sit in Lætitia, & omnis Lætitia sit in meo *esse*.

19. g. O *Domine DEVS humilis & patiens!* Precor Te, quòd tunc, quando mei inimici me deridebunt, & me inhonorabunt, & me vilipendent, Tu mihi des gratiam imaginandi, quid mihi plùs valeat, vel quòd injurier, illudar, & vilipendar, & sim in *esse*, vel quod non illudar, & non sim in *esse*; nam, si habeo hanc imaginationem, ego inveniam, quòd mihi melius sit esse in *esse*, quàm si non essem in *esse*.

20. Adhuc precor Te, *Domine*, quòd, quando continget, me habere magnam famem vel sitim, paupertatem vel dolorem, vel aliquam pœnam, quæcunque illa sit, Tu me facias æstimare, quid mihi plus valeat, vel quòd illam pœnam sustineam, & sim in *esse*, vel quòd illam non sustineam, & non sim in *esse*; nam, si hoc me facis æstimare, *Domine*, ratio mihi monstrabit, quòd meliùs mihi sit, quòd

quòd sim in *esse* sustinendo laborem, quàm non habere *esse*.

21. Et, si Tu *Domine*, quotiescunque vituperabor & contemnar, me facias æstimare, quòd mihi sit meliùs, hoc sufferre, & esse in *esse*, quàm esset, si non essem in *esse*, tunc habebo causam, quòd semper sim lætus, quodcumque malum habeam.

22. h. *Domine DEVS!* sicut sentio gaudium & lætitiã in meo corde, si posset fieri, vellem illam sentire in omnibus meis membris, quoniam illa sunt ita in *esse*, sicut meum cor.

23. Et postquam Tu, *Domine*, tantam lætitiã posuisti in meo corde, placeat tibi illam mihi extendere per totum corpus, in tantum, quòd mea facies, & mei oculi, & meum os, & meæ manus & omnia membra sentiant Lætitiã.

24. Nam, postquàm mea membra, *Domine*, sunt in *esse*, & meum cor est plenum lætitiã, mea membra, quæ sunt in *esse*, debent esse tota plena Lætitiã.

25. i. O Rex Regum, alte *Domine* & Nobilis! Quando ego recolo æternam vitam,

tam, & illam contemplor, tunc, *Domine*, sum plenus & coopertus Lætitiâ intus, & extrâ; & sum ita plenus Lætitiâ, *Domine*, quòd mare non sit ita plenum aquâ.

26. Adhuc dico Tibi, *Domine*, quòd, sicut bonus eques, qui est bene munitus super suo bono equo, vilipendit suum inimicum, quia sentit se bene armatum; ita me sentio tam lætum, quòd non timeam iram & tristitiam mihi posse facere ullum malum, nec ad me posse pervenire.

27. *O Domine Benedictus sis Tu!* Tam magna est Lætitia, gaudium, & placitum, quæ tu posuisti in me, quòd meas vires sentiam majores & fortiores, quàm sit fortitudo montium; nec ferrum nec chalybs sunt fortiora, quàm ego.

28. k. *Domine DEVS plene omni Sapientiâ & omni benignitate!* Postquam Tu me facis esse lætum propter tuum esse, & propter meum esse; quare ego non jactarem me, quòd sim fortior, quàm rupis, & chalybs? nam rupis & chalybs prius possent reduci in pulverem, quàm homo

mo lætans in Te, in privationem.

29. Nam tibi, *Domine*, est possibile facere, quod rupis & chalybs deveniant in pulverem; & tibi, *Domine*, est impossibile, quod facias injuriam illis, qui lætantur in Te.

30. O *Domine*! mihi non attribuo meam jactantiam lætitiæ & fortitudinis, sed attribuo illam Tibi; nam parum valeret, si illam mihi attribuerem: Unde placeat Tibi, *Domine*, quòd intelligam omne bonum esse de Te, qui es meus Creator & meus DEUS.

CAPV T III.

QUOMODO HOMO DEBEAT LÆTARI, de Esse sui Proximi.

I. **D**EVUS Creator & Salvator noster!
 a. **D**Cùm nos in hoc mundo videamus, quòd nosmet ipsi simus in *Esse*, convenit, *Domine*, quòd quilibet nostrum alius cum alio ad invicem lætemur; nam quilibet debet ita lætari de *esse* sui proximi,

ximi, sicut de suo proprio *Esse*.

2. Sicut, *Domine*, suum *Esse* est causa cuilibet, quòd, debeat lætari, ita *esse* sui proximi est ipsi causa Lætitiæ.

3. Propterea, *Domine*, quia proprium est bono & virtuoso homini, semper lætari de bono; igitur, si homo est lætus, quando videt bonum in semetipso, etiam debet esse lætus in semetipso, quando videt bonum in suo proximo.

4. b. *O Domine honorate & Nobilis!* Si ego me sentirem ita lætum propter bonum mei proximi, sicut propter meum, ego cognoscerem, me esse de illis, qui à te receperunt gratiam & benedictionem.

5. Et, si meus proximus, *Domine*, Te magis amat, & Tibi magis servit, quàm ego, esset rationabile, quòd ego magis lætarer de illius esse, quàm de meo; quia plus boni de illo sequitur.

6. Et, si contigat, *Domine*, quòd ego non læter de homine, qui est melior, quàm ego, plus, quàm de me; rogo Te, ut Tibi placeat, quòd saltem non minùs læter de illo.

7. c. *Domine DEVS!* Tu scis, quòd ho-
mini

mini sit placitum & gaudium videre societatem sui proximi; nam est ipsi horror & causa tristitiæ, quando se invenit totum solum sinè amicis & cognatis, vel aliquibus hominibus.

8. Unde, cùm nos videamus, *Domine*, multos homines esse in *esse*, convenit, quòd lætemur in illis; quia illorum *esse* est nobis valde proficuum.

9. Quapropter rogamus Te, *Domine*, ut nobis des gratiam & benedictionem habendi lætitiã in illorum *Esse*.

10. d. Et Tu, *Domine*, jam scis, quòd quidam homines adjuvent alios in possessione suorum bonorum, & adjuvent se in illorum laboribus & curis: igitur esset inconveniens, si alii non lætarentur in bonis aliorum.

11. Et, si contingeret, *Domine*, quòd ego non lætarer de bonis illorum propter ipsos, saltem deberem lætari de illis propter bonum, quod mihi venit per illa.

12. Veruntamen, *Domine*, ista talis lætitiã, non est vera lætitiã, nec verus amor, quòd ego læter de illis ratione meâ, imò debeo lætari de illis ratione ipsorum.

O Do-

13. c. *O Domine DEVS, qui es consolatio pauperum & misericordia peccatorum. Quàm beatus est ille, qui habet suum esse in amore & in societate illorum hominum, qui sunt tui amatores & tui servi?*

14. *Unde, cùm ego illos non ama- verim, nec habuerim societatem illo- rum, cognosco, quòd fuerim in societa- te hominum vilium & vitiosorum, & in- dignorum tuâ gloriâ.*

15. *Tu Domine DEVS sis adoratus & benediçtus; nam non solùm mihi impo- fuisti, ut lætarer de esse justorum homi- num, sed etiam de esse peccatorum; quia illi sunt occasio, ut cognoscatur tua ma- gna Æquitas & Justitia.*

16. f. *O Domine Sancte & gloriose! Cùm homo debeat esse lætus de esse Justi ho- minis, quare igitur tristatur homo de morte illius, & quare vestit se nigrâ ve- ste? hoc, Domine, videtur mihi una ex illis stupiditatibus & stultitiis, quæ inter nos currunt.*

17. *Ista stupiditas, Domine, & stulti- tia est inter nos, quia ignoramus tuam Sapi-*

Sapientiam, quæ justum hominem creavit pro alio Sæculo, & non pro isto; & nobis videtur, quòd ipse non habuerit *esse*, nisi pro hoc mundo; etiam debere-
mus cogitare, *Domine*, quòd, sicut justus homo moritur bonâ morte, ita posset esse, quòd moreretur malâ morte, si ultra viveret.

18. Adhuc, *Domine*, est aliud mirandum in nobis, quomodo scilicet potest esse, quòd tristitia possit ejicere hominem à lætitia, quam habuit de *esse* sui boni amici, si bene moriatur; nam majus bonum est hoc, quod homo inde recipit, quàm damnum, quod inde sequitur.

19. g. *Domine DEVS!* Si tristitia deberet cadere in hominem, quando videt mori suum Amicum, videtur mihi, quòd tunc debeat cadere in illum, quando ipse moritur in peccato sinè confessione, & sinè memoria tuæ magnæ misericordiæ.

20. Nam, *Domine*, tunc posset considerare, quod illi melius fuisset, quòd non habuisset *esse*, postquam ipsum videt mori morte subitaneâ in peccato.

Ve.

21. Veruntamen, *Domine*, cum his omnibus homo, qui videt suum Amicum mori morte subitaneâ, potius debet esse lætus, quàm tristis; nam majus est bonum, quod sequitur ex ejus morte; quia Tu in illo complēs tuam Voluntatem, & justè judicas illum, quàm inde sequatur malum, quamvis subitò moriatur.

22. h. *O Domine DEVS, Rex veritatis!* Valde mirandum est de Gentibus, quæ quandoque sunt lætæ in bono, & quandoque in malo; nam, quando sunt lætæ in malo, quid factum est de causa, *Domine*, propter quam deberent lætari in bono?

23. Nam maximè miror, *Domine*, quomodo possit fieri, quòd ita cito ipsis repræsentetur causa, quam habent lætandi in malo, & ita citò sit in absentia causa, quam habent lætandi in bono; nam, sicut montes sunt super planities; ita lætitia habet dignitatem supra tristitiam.

24. Undè ego precor Te, *Domine*, sicut homo peccator potest precari suum

Do-

Dominum dulcem & misericordiosum, ut Tu à nobis disparere facias omnem occasionem, per quam mala & inordinata lætitia ad nos possit venire, & ut nobis apparere facias omnem bonam occasionem, unde debeamus lætari.

25. i. *Domine DEVS, qui parcis peccatoribus & glorificas Justos.* Rogo Te per gratiam, ut, quoties meum proximum videbo lætari in Te, Tibi placeat, quòd illa lætitia perveniat in me, & illa, quam ego habebò in Te, perveniat in illum.

26. *Dominus meus & DEVS meus!* Quoties videbo homines peccatores discognoscentes stare in tristitia & in mœrore, rogo Te, ut me custodias & salves, ne inficiar ab illorum tristitia & discognoscentiâ.

27. Et istas preces facio Tibi, *Domine*, ne lætitia, quam habeo in Te, minuatur in me, nec sim indignus tuâ benedictâ gloriâ.

28. k. *O Domine DEVS, Sancte, gloriosè!* Verum est, quòd ego sim obligatus ad lætandum de meo esse, & de esse mei proximi, sed tota ista obligatio est quasi

si nihil respectû obligationis, in qua sum, lætandi de tuo *esse*.

29. Nam lætitia, quam homo habet in Te, se expandit, & diffunditur per corpus hominis, & per animam, sicut vera Fides se expandit per totum corpus iusti Catholici hominis.

30. Unde Tibi, *Domine DEVS*, dentur laudes & gratiæ & honores; quia tuo servo fecisti gratiam in hoc, quòd cum Lætitia inceperit hanc distinctionem, & cum Lætitia finiverit illam ad laudem sui DEI.

DISTINCTIO II.

DE INFINITATE DIVINA.

CAPUT IV.

QUOMODO DEVS SIT INFINI- tus in sua Essentia.

1. **O** *DEVS, Domine Magne & Mira-
a. bilis! Tu scis benè, quòd, si es-
set*

set aliquid, quod posset currere sicut fulgur, & moveretur de medio loco mundi, usque ad extremum firmamenti, & postea iret per omnes sex rectitudines, quamvis infinitè posset currere, adhuc non inveniret Tibi finem.

2. Unde istud est magnum mirum, *Domine*, quòd tuum *Esse* sit tam magnum, quòd non possit cadere in intellectum hominis, quòd Tu sis finitus.

3. *O Domine DEVS!* Non solùm videtur nobis mirum, Te esse finè fine, sed etiam est conveniens, quòd simus sicut homo stupefactus, qui quasi exivit de suo sensu, quando perpendimus & cogitamus esse aliquid in *esse*, quod non habeat finem.

4. *B. O DEVS pie, plene magnâ Misericordiâ!* Quando cogito in tuam Infinitatem, tunc parvificatur meus Intellectus, & redit quasi in nihilum; & hoc contingit ideo, quia est pauper ad imaginandum in tua Infinitate.

5. Et, si meus intellectus, *Domine*, parvificatur, & redit quasi in nihilum, quando cogito in re infinita, non est ullum

lum mirum ; nam , si meus intellectus non potest attingere parvitatem atomi, quæ est tam parva, quòd non possit minui; quomodo poterit attingere Magnitudinem tuæ Essentiæ , & maximè , cùm atomus sit quid finitum , & tua Essentia sit sinè fine ?

6. *Domine DEVS!* Quoniam meus intellectus deficit ad comprehendendum Magnitudinem tuæ Essentiæ , rogo Te, *Domine*, ut Tibi placeat ponere tam magnum amorem in meo corde in amando Te , ut meus intellectus deficiat ad imaginandum Magnitudinem illius amoris.

7. c. *O Vere DEVS, amorose , dulcis & placens!* Quoniam Tu es tam magnus & infinitus, convenit, quòd Tibi obediamus , & quòd Tibi supplicemus , cum verâ conscientia & cum verâ intentione.

8. Et, si nos, *Domine*, amamus & honoramus tuum benedictum infinitum esse, & illi servimus, crescemus , & multiplicabimur ratione amoris & honoris, quem Tibi faciemus.

9. Sed, cùm ego, *Domine DEVS*, fuerim

C

rim

rim oblitus Tuû, & Tibi non fervierim;
& amaverim & recoluerim res modicæ
virtutis & modicæ utilitatis; propterea,
Domine, fui factus parvus & miser &
debilis.

10. d. *Domine DEVS*, plene omnibus
viribus, in quo est omnis *Altitudo & No-*
bilitas! Tam nobilis & excellens es in
omni Virtute, quòd, quamvis sint res in
esse, occupantes locum, propterea tamen
non sequitur, quòd non sis infinitus.

11. Nam, sicut Tu, *Domine*, eras
infinitus, antequã ullæ res essent creatæ,
sic pariter nunc es infinitus, cum res
sunt creatæ.

12. Igitur, *Domine*, omnis Laus &
Honor & Valor & Virtus & Bonitas Ti-
bi attribuatur & in Te cognoscatur.

13. c. *O Sancta Essentia in Trinitate*,
una in Vnitate! Quoniam ita est, quòd
fis tam magna, quòd circumdes plana, &
montes, & maria, & totum firmamen-
tum, quomodo potuisti sustinere, quòd
ego, *Domine*, remanserim super terram
Tibi inobediens, qui es tam magnus; &
quòd fuerim obediens rebus parvis, mi-
seris & finitis? O

14. O Domine DEVS gloriose & benedicte! Si ego per tuam gratiam non revertar ad amandum & honorandum Te, & ad serviendum Tibi, ego, Domine, judicabo me ipsum, ut obliviscar, & odiar, & contemnar, & ut præcipias terræ, quòd me non sustineat, sed se aperiat, & me absorbeat: nam non est ei honor, quòd homo falsus, injuriosus, & inobediens suo DEO, eam conculcet, & teneat sub pedibus.

15. Nam est magnum opprobrium terræ, Domine, quòd creatura sit super eam, postquam est ingrata suo Creatori.

16. f. O Domine eterne sine ullo principio! Cùm Tu sis sine fine, justū est, quòd esses, antequam essent creaturæ; quare igitur, Domine, in matutinis, quando surgo è meo lecto, est aliquid aliud in mea cogitatione prius, quàm Tu?

17. Et quare, Domine, prius venit in meam cogitationem aliquid, quod habet medium, & finem, quàm Tu, qui non habes medium, & es sine fine?

18. Et quare, Domine, de nocte, quando decumbo, est aliquid aliud in
mea

mea cogitatione quàm Tu? Rogo Te, *Domine*, ut facias exulare, & amoveri à mea cogitatione res, quæ solent esse in illa prius, quàm Tu, in mane, in meridie, & in fine diei.

19. g. *O Domine DEVS!* Quàm magna sanctitas, & quàm magna Nobilitas est magna Magnitudo tuæ Excellētis Essentiæ! Nam, sicut ipsa est infinita, ita, *Domine*, est infinita tua Potestas, & tuus Amor, & tua Sapientia, & omnia, quæ sunt in Te.

20. Laudatus sis Tu, *Domine DEVS*, quia non es, sicut Reges, qui in suis qualitatibus, & in suis quantitatibus, & in suis operibus sunt finiti.

21. *O Domine, Creator noster!* Postquam ita est, quòd tua benedicta divina Essentia non habeat finem, Rogo Te, *Domine*, ut nihil cogitemus, nec faciamus, nisi ad tuam laudem & ad tuum honorem, & ad tuum placitum.

22. h. *O Domine DEVS, qui es magnus & mirabilis Dominus, perdurabilis per omnia tempora!* Quoniam Tu es infinitus, certè maximè infelices reputo illos, qui Te perdunt; nam postquam Tu, *Domine,*

ne, es per omnia loca, & per omnes re-
ctitudines, homo potest Te invenire in
omnibus locis, si Te velit quærere.

23. Sed ego, *Domine*, sum de illis in-
fortunatis, qui Te perdiderunt; nam
clausi oculos meæ animæ & mei corpo-
ris, ut Te perderem, & non invenirem.

24. Et propterea, *Domine*, ego sum
mihimetipsi causa, per quam sum in ta-
li dispositione, quòd in me veniat la-
bor, & tribulatio, & dolor; & quòd
omne malum veniat ad me ex omnibus
partibus.

25. i. *Domine IESV Christe, Spes &*
Consolatio nostra! Quoniam Tu es præ-
sens in omnibus locis terræ, quando erit
illud beatum tempus, quo amaberis &
colêris, & Tibi servietur per omnes terras?

26. Nam, quoniam Tu, *Domine*, es
in omnibus locis terræ, requirit ratio,
quòd in omnibus locis terræ lauderis &
recolaris, timearis & ameris.

27. *O Domine!* Omnia loca terræ im-
plentur aquâ, quando ipsa est plena a-
quâ; quare igitur non omnis terra im-
pletur laude & recollectione tuæ infinitæ
Essentiæ?

Tu,

38 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

28. k. Tu, *Domine DEVS*, es tam Sanctus & Nobilis in Bonitate & in Magnitudine, quòd omne cor deficiat ad cogitandum tuam magnam Bonitatem, & tuam magnam Magnitudinem, quia est infinita.

29. Oculi etiam deficiunt ad comprehendendum creaturas, quas creasti; & iste talis defectus, *Domine*, est propter hoc, quia omne id, quod est in nobis, est finitum; & omne id, quod est in Te, est infinitum.

30. Igitur, *Domine*, qui parcis omnibus illis, qui à Te petunt misericordiam, & qui es spes illorum, qui Te rogant; placeat Tibi, quòd ego ex omnibus viribus, quas mihi dedisti, Tibi ferviam adorando, timendo & amando; & ne obliviscaris, *Domine*, tui servi, qui confidit in suo DEO.

CAPVT V.

QUOMODO HOMO SIT FINITVS.

1. **D**omine DEVS, Valor & Gloria sit
a. **D**omine DEVS, Valor & Gloria sit
tue

tuae magna Magnitudini! Quoniam ipsa est tam magna, quòd circumdet & comprehendat totum mundum; quia est ultra mundum.

2. Unde, cùm nos, *Domine*, sumus finiti intra mundum, sumus finiti in *esse* & in operibus intra Magnitudinem tuæ Sanctæ Essentiæ.

3. Igitur, *Domine DEVS, Lumen Catholicorum, Recursus laboratorum*; quoniam nos sumus in Te finiti, placeat Tibi, quòd omnis noster intellectus, & omnia nostra opera sint in amando & benedicendo Te, & non in alio.

4. b. *O Domine DEVS, qui es tam misericors, quòd peccatores allevies à suis gravibus peccatis!* Quoniam nos sumus finiti & terminati intra terminum, in quo sumus inclusi; non est rationabile, quòd noster intellectus velit transire ultra terminum, in quo illum fecisti esse finitum & terminatum.

5. Et ideo, *Domine DEVS*, quando noster intellectus vult exire extra terminum, in quo est finitus & comprehensus, minuitur & finitur; quia non est suæ natu-

40 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

naturæ, quod exeat ultra & extra suum terminum.

6. Sed, quando Intellectus & nostra ratio vult videre, & inquirere intra terminum suæ finitatis, tunc crescit & multiplicatur in magnitudine & virtute.

7. c. *Domine DEVS, qui es amator Iustorum!* Tu scis, quòd nostrum esse, & nostræ qualitates magnificentur in altitudine & bonitate, secundum quòd vis extendere & ampliare spatium, in quo sumus inclusi.

8. Unde supplicantes junctis nostris manibus erga Te, *Domine*, petimus gratiam, ut nostro intellectui des tale spatium, per quod habeamus magnum amorem, & magnam voluntatem in amando & honorando Te.

9. *O Domine DEVS, qui virtuificas Catholicos per bona opera!* Facile est Tibi nostro Intellectui dare magnum spatium in contemplando Te, cum sis infinitus; igitur placeat Tibi, *Domine*, nobis dare gratiam, ut noster intellectus non sit captivatus intra modicum terminum.

10. d. *O Domine DEVS, Directio & Re-*
staura-

stauratio errantium! Tu scis, quòd quinque corporales sensus sint terminati intra modicum terminum; & hoc ideò, quia corpus est finitum & comprehensum intra modicum terminum.

11. *O Domine!* Cùm corporales sensus sint intra modicum spatium, ratione corporis, quod est terminatum intra modicum terminum; ideò habeo magnum timorem, ne Spirituales sensus animæ sint intra modicum spatium, ratione malorum operum, quæ feci.

12. *O Domine dulcis & pie!* Cùm mei sensus sint finiti intra modicum spatium, & bona, quæ ego feci, sint pauca, & ego vadam in aliud sæculum, ubi erunt mea bona opera?

13. e. *DEVS noster, & Amator noster!* Non oportet, quòd homo longinquò vadat ad Te; nam Tu es valde propè, postquam nos, *Domine*, sumus finiti in Te.

14. Cùm Tu, *Domine*, sis infinitus, & nos simus finiti, facile est tuis amatoribus Te invenire, quotiescunque volunt; quia te poterunt invenire per omnes re-
ctitudines.

Igi-

15. Igitur non oportet, *Domine*, quòd homines Justi tui servi suam faciem ver- tant ab una parte in aliam, quando Te volent invenire; nam, quoniam ipsi sunt finiti, & Tu infinitus, poterunt Te invenire in suo corde.

16. f. *O Domine DEVS, pie & plene Misericordiâ!* Magis propinquus locus, in quo Tu inveniris, est cor justì, & ma- gis remotus locus, in quo Tu non in- veniris, est, *Domine*, cor peccatoris.

17. *O Domine DEVS!* Ego sum ille, qui sum de peccatoribus, à quibus Te elongas; &, cùm ego sim tam vilis, & tam oneratus peccatis, quando erit illa dies, quo Te inveniam? *O Domine*, quan- tum mirum est, quòd ego sim tam re- motus à Te ratione mei peccati, & Tu tamen sis infinitus, & ego finitus in Te!

18. *Domine plene omni bono!* Sicut homini multum onerato, qui debet lon- gam viam facere, opus est alleviari suo onere, & ire citò; ita, *Domine*, mihi opus esset, quòd Tu alleviares mea peccata, quibus sum oneratus, & esset opus, quòd me faceres citò pervenire ad virtutes, per

per quas homo Te invenit.

19. g. *Domine DEVS, qui admones peccatores ad faciendum bona opera! Quoniam Tu es infinitus, & ego sum finitus in Te, placeat Tibi, me stimulare ad amandum & honorandum Te; nam rarò contingit, quòd spina tangat corpus hominis, & non pungat illud.*

20. *Domine JESV. Christe! Si ego non recedam à peccato ratione tuæ admonitionis, rogo Te, ut taliter plantes in meo corde recordationem tuæ Passionis, quòd nunquam amplius ex illa exeam.*

21. *O Rex Sancte & gloriose! Cùm nos simus finiti in Te, & Tu sis infinitus, sollicitudo, quam habes in amando nos, est infinita, & comprehendit & admoveet nostras sollicitudines ad amandum Te.*

22. h. *O Domine Gloria, certificans dubios in veritate! Qui volunt videre magnum mirabile, veniant aspicere me; nam ego sum illud mirabile; quia amavi finita, & servivi ipsis, & sum oblitus Tuû, & disamavi Te, qui es sine fine.*

23. *O Domine, Principium principio-*
rum

44 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.
rum & Causa causarum!* Qui vult videre
hominē, in quo capitur plus proditionis,
falsitatis & vilitatis, quàm in alio, ve-
niat videre me; nam ego sum totus ple-
nus & refertus defectibus; quia in meo
corde magis habitaverunt cogitationes
de rebus finitis, quàm de Te, qui es in-
finitus.

24. *O Domine, qui solus scis omnia
mea peccata, & scis, quamdiu persevera-
verim in illis!* Magnum mirabile est de
me, quomodo in tam parvo corpore
possit capi tantum mali, quantum in
me capitur; totum hoc, *Domine*, est
ideo, quia ego sum vilis & miser prop-
ter hoc, quia discognovi Dominum in-
finitum.

25. i. *O Domine, qui concordas Justos
in vera pace!* Quamvis res, quas Tu
creasti, sint finitæ, inde tamen non
sequitur, quòd in illis non sit multum
boni, per quod bonum homo pervenit
ad beatam perdurabilem vitam.

26. *Domine DEVS, qui ponis patien-
tiam & amorem in illis, qui propter Te
laborant!* Quot mala & quot defectus
sunt,

sunt, *Domine*, in rebus finitis, propter quas homo perdit beatitudinem alterius sæculi, & possidet dolorem & laborem, qui nullo tempore habebit finem?

27. *O Domine, qui es vera consolatio orphanorum!* Rogo Te, ut me appropinques ad ea, per quæ homo invenit perdurabilem beatitudinem, & me clones ab iis, per quæ homo pervenit ad perdurabiles poenas.

28. k. *O Domine DEVS, qui circumdas & comprehendis omnia quantumcunque sint remota vel propinqua!* Rogo Te, ut mihi des tantum gratiæ, quòd, quotiescunque audiam loqui de finitis rebus, recolam meam parvitatem, & meam vilitatem, & quotiescunque audiam loqui de infinitâ re, recolam Te amare, & honorare, & laudare, & Tibi fervire,

29. *O Domine DEVS, qui es tam pius & tam misericors, quòd homines transferas de vitiis in virtutes!* Rogo Te, ut me custodias, & me salves, ut finitæ res me non superent, nec me vincant.

30. Tibi, *Domine*, cognoscatur Gratitude, & Virtus & Honor & Reclitio, quia

46 *B. Ray. Lulli Lib. Contemp.*
quia dedisti tuo seruo finitum intellectū,
& perceptionem ad recolendum rem in-
finitam, quæ est suus Dominus & suus
D E U S.

DISTINCTIO III.

DE ÆTERNITATE DIVINA.

CAPUT VI.

QUOMODO DEVS SIT SINÈ
principio.

1. **O** *DEVS Honorate, Domine plene*
a. *omnibus viribus!* Cùm Tu sis ille,
qui es sinè Principio, si homo contem-
pletur in tua Æternitate, & cogitet ali-
quid esse in *esse*, quod sit sinè principio,
remanet, *Domine*, stupefactus.
2. Cùm humanus intellectus, *Do-
mine*, contemplatur in Æternitate, mi-
ratur de Altitudine, Excellentia, & No-
bilitate, quæ est in re æternâ.
3. Et propter hoc, *Domine*, quoni-
am

am nos contemplantur in tua Æternitate, convenit, quòd in eâ contemplemur secundùm mirabilitatem magnæ Nobilitatis, quam intelligimus esse in ipsa; propter quam mirabilitatem convenit, quòd nostra contemplatio sit rogando, & laudando, & amando Te.

4. b. *O Domine DEVS, Creator perdurabilis in omni tempore!* Quoniam es Æternus, convenit, quòd ex omnibus viribus conemur intelligere Bonitatem & Nobilitatem, quæ est in re æterna; & hoc est, *Domine*, ideo, ut Te amemus & laudemus, & Tibi serviamus ex tota nostra potestate.

5. Veruntamen, *Domine*, tua sancta Æternitas est tam alta & tam excellens, quòd noster intellectus non possit comprehendere, nec attingere magnam Bonitatem, quam habes per hoc, quòd sis Æternus; & hoc est ideo, *Domine*, quia noster intellectus habet principium, & tua Æternitas est finè principio; quapropter nos non habemus potestatem contemplandi in tua Æternitate secundùm suam magnam Nobilitatem, imò
con-

48 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

convenit, quòd in ea contemplemur secundum parvitatem nostri intellectus.

6. Sed, *Domine*, cum jactamus nos, quòd contemplabimur in tua benedicta *Æternitate* ex omnibus nostris viribus, propter hoc tamen nos non contemplamur in ea ex tota nostra potestate; & hoc est ideo, quia temporalia nos impediunt: quapropter rogamus Te, *Domine*, ut nos adjuves contra illa.

7. c. *O Domine DEVS, qui defendis tuos bonos amicos à suis mortalibus inimicis!* Tu scis, quòd sit parva differentia & parvum spatium inter *esse* rei habentis principium, & privationem ipsius; nam, quoniam res habet principium, non est digna per se ipsam, quòd sustineatur in *esse*; igitur, *Domine*, mirabiliter est magna differentia & distantia, quæ est inter tuam *Æternitatem*, & privationem, quoniam tua *Æternitas* est sine principio.

8. *Domine noster!* Tu scis, quòd principium rei habentis principium significet paupertatem & vilitatem, ratione cujus non habet dignitatem essendi infinita

ncc

nec æterna, nec essendi in *esse* per se ipsam ; igitur, *Domine*, cùm tua Æternitas non habeat principium, est valdè magna Virtus & nobilitas, quæ significatur in illa.

9. *O noster Domine !* Necessariò convenit, omnes res habentes principium, devenisse de *non esse* ad *esse*, & esse subjectas, & judicatas ; igitur, *Domine*, cùm tua Æternitas sit sinè principio, quid est, quod esset ante illam ? Vel quid est id, quod eam subjicit & judicet ? Hoc est impossibile, quòd aliquid sit supra illam.

10. d. *Domine DEVS, qui vivificas, quos vis, & mortificas, quos vis !* Cùm tua Æternitas sit sinè principio, & cùm nos, *Domine*, incipiamus illam amare, & laudare, & ipsi servire, placeat Tibi, quòd in nostro intellectu, & in nostra mente diù & noctù non sit alius amor, nisi tuus.

11. Quoniam ita est, quòd tua Essentia, *Domine*, sit sinè principio, facile est Tibi in meo corde ponere tam magnum amorem, quòd in illo non possit esse alius amor, nec alia laus, nisi tua.

D

Nam

12. Nam talis amor, *Domine*, est necessarius tuo seruo, ut sit tam diligens in seruiendo Tibi, & amando Te, quòd in eo non possit capi alius amor, nisi tuus.

13. c. *O Domine Gloria, qui es Omnipotens!* Cor, quod vult vinci & vult deficere in attingendo Te, cogitet durabilitatem tuæ benedictæ Æternitatis.

14. Si sunt ora, *Domine*, quæ libenter loquantur, veniant ad loquendum de magna Nobilitate tuæ Æternitatis, & non dicent tantas laudes de illa, quòd non deficient in laudando altam Nobilitatem ipsius.

15. *O Domine DEVS!* Si sint oculi, qui multum volunt videre, veniant modo, & videant, quòd omnia deficient ad dandum laudem, & ad faciendum honorem tuæ Æternitati, secundum quod convenit ei.

16. f. *O Domine DEVS!* Ita injuriosum videtur, quòd res habens principium audeat contemplari in re non habente principium, sicut injuriosum & turpe videtur, quòd homo sedeat ad latus nobilis

bilis Regis vestitus vilibus pannis laceris & fordidis.

17. *Domine DEVS!* Multoties contingit, quòd viles & pauperes homines injuriati intrent in præsentiam Regum, & Reges per suam magnam humilitatem humiliant se tantùm ad illos, quòd audiant ipsorum verba, & exaudiant eorum preces, & quòd faciant illis satisfieri pro eorum injuriis. Igitur Tu, *Domine*, qui es Rex Regum & Dominus Dominorum, humilia Te ad tuum servum, quamvis sit pauper & miser homo; & placeat Tibi audire eum, & exaudire tunc, quando orat & contemplatur in Te.

18. *O Domine DEVS!* Quamvis tuus servus sit vilis, & miser, & pauper, & indignus Te contemplandi; tamen, licet contempletur in Te, ejus vilitas & peccata nihil nocent Tibi, *Domine*, quia Tu es suus Dominus, & ipse est tuus servus: ergo, *Domine*, non prohibeas ipsi bonum saporem, quem habet in contemplando Te.

19. g. *O Domine, qui es justus in tuo esse*

52 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
esse & in esse creatarum rerum! Tunc,
quando ego loquor Tecum & contem-
plor in Te, non habeo ullum timorem
de meis inimicis, imò, *Domine*, repre-
hendo ipsos de suis defectibus.

20. Nam multoties, *Domine*, dico,
meo cordi, quod est meus major ini-
micus: unde venit tibi ista falsitas &
ista proditio, quòd plus cogitaveris in
istas finitas res, quàm in Divinam Æter-
nitatem, quæ est sinè principio?

21. Et, si meum cor, *Domine*, mihi
respondet, & dicit, omnem falsitatem &
proditionem venisse ab ipso, quia ipsum
est radix, à qua falsitas, & proditio ve-
nit in me; respondebo ei, & dicam, quòd
petat gratiam à Te, ut Tu extrahas illam
radicem ab ipso, quousque in illo non
sit alius amor, nisi tuus.

22. h. *O Domine DEVS, qui tuis fide-*
libus denuntias eternam beatam gloriam!
Tu es primum bonum mei *Esse*, & prima
causa, quæ amat & dirigit meum *esse* sub
tuo, quia Tu das illi *esse*, & dirigis illud in
veram viam; & primum, contra quòd er-
ravi, & primum, cuius fui oblitus, es Tu.

Et

23. Et propterea convenit, *Domine*, quòd Tibi primùm attribuatur omnis Magnitudo, & omnis Gloria, & omnis Gratia, & omnis Bonitas: & mihi omnis defectus, & omnis injuria, & omnis proditio, & omnis vanitas.

24. Unde peto à Te, *Domine*, gratiam, ut, si meum principium fuit in falsitatibus, & in proditionibus, & in ignorantia Tuâ, tamen meus finis sit in veritate, & in fidelitate, & in cognitione Tuâ.

25. i. *Domine DEVS* ! Sicut bestia alligata non potest attingere, nisi id tantum, ad quod ligamen illi sufficit; ita meus intellectus non potest attingere, nisi tantum, quantum illi est datum, quòd possit attingere: unde secundùm hoc non convenit, quòd meus intellectus attingat id, quod est sinè principio.

26. Nam non est naturale, *Domine*, quòd res finitæ habentes principium, comprehendant infinitum sinè principio: Unde si meum cor non potest contemplari in Te, secundùm quod conveniret tuæ Nobilitati, rogo Te, *Domine*,
ut

54 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ut illud habeas excusatum ratione suæ parvæ potestatis, & suæ miseræ.

27. Unde ego, *Domine*, dico meo cordi, si illud non potest contemplari in divina Essentia secundum tuam magnam Magnitudinem, hoc non curet; cum in ipso non sit illa potestas, quod possit & debeat Te contemplari, secundum quod ad Te pertineret.

28. k *O Domine DEVS!* Tibi sint laudes & gratiæ, qui nobis fecisti tantam gratiam, quod à sensualibus pervenerimus ad intellectualia in hoc, quod intellexerimus, tuam Æternitatem esse sine fine.

29. Unde laus & gloria & benedictio sit Tibi, *Domine*, quia Tibi placuit, quod tuus servus amoverit suum amorem à rebus finitis principiatis, & illum posuerit in tua Æternitate, quæ est sine principio, & sine fine.

30 *O Domine DEVS!* Placeat Tibi, quod, sicut ego fui principium meorum malorum, & meorum peccatorum, Tu imposterum sis principium & finis mei boni, quousque in mea spe, & in meo,

corde non fit aliud, nisi Tu, qui es meus Dominus & meus DEVS.

CAPVT VII.

QVOMODO ÆTERNITAS DIVINA sit sinè fine.

1. **O** *DEVS* amate, honorate & desiderate in omni tempore! Quia tua benedicta Essentia est sinè fine, significatur nobis ipsam esse dignam, quòd sit perdurabilis; nam postquam res est sinè fine, non convenit, quòd ulla corruptio cadat in illam.

2. Et in re, *Domine*, quæ habet finem, significatur, quòd debeat habere corruptionem; nam omne id, quod habet finem, secundùm naturam debet habere corruptionem.

3. Unde cùm Tu, *Domine*, sis sinè fine, & nos simus finiti, est rationabile, quòd serviamus Tibi, & Tibi supplicemus, & quòd simus multùm diligentes in iis, quæ Tu mandasti nobis.

O Do-

56 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

4. b. *O Domine vere DEVS, qui doces tuos servos!* Cùm Tu sis finè principio, quid est illud, quod Tibi posset dare finem? & , si aliquid tale est, veniat, & monstret se nobis.

5. Nihil, *Domine*, potest se nobis monstrare, quòd Tibi posset dare finem; & hoc est ideo, quia non est aliquid in *esse*, quod Tibi potuerit dare principium.

6. *O Domine!* Quidnam posset Te prohibere, quòd Tu ipsi non dares finem, postquam omnia præter Te sint intra duos terminos, qui sunt principium & finis; nos, *Domine*, confitemur, & fatemur Te esse illum, qui omnibus rebus potes dare finem, sicut illis potuisti dare principium.

7. c. *O Domine, alte, mirabilis, & super omnes Dominos Nobilis!* Quando nos cogitamus in tua *Æternitate*, & consideramus ipsam esse finè fine, tunc expanditur in nostro intellectu admiratio in hoc, quòd nobis videatur mirabile, aliquam rem esse in *esse*, absque eo, quod habeat finem.

8. Et admiratio, quæ cadit in nostrum

strum intellectum, non cadit in illum, *Domine*, ex parte defectûs Tuî, sed cadit in illum ex parte defectûs nostrî; nam noster intellectus est tam parvus, quòd necessariò debeat mirari, quando cogitat in tam magna & tam nobili Essentia, qualis est tua; & hoc est ideo, quia res parvæ & miseræ mirantur de altis & nobilibus.

9. *Domine DEVS!* Cùm nos miremur, quomodo Tu non habeas finem; multò magis deberemus mirari, si Tu haberes finem; nam est impossibile, quòd id, quòd non habuit principium, possit habere finem.

10. d. *Domine, qui edificasti & construxisti mundum!* Tu lauderis, qui nos taliter creasti, quòd simus perdurabiles; nam hoc fecisti ideò, ut perdurabiliter sciamus & cognoscamus tuam Essentiam esse finè fine.

11. Et propterea, *Domine*, nos sumus adstricti & obligati ad honorandum & amandum Te; quoniam ad cognoscendum Te esse finè fine, est nobis datum esse, quod non habebit finem.

58 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

12. *O Domine, in quo est omnis Justitia & omnis Veritas! Quàm magna est beatitudo in illis, qui finè fine durabunt in gloria, & quàm magnum est malum miserorum, qui sustinentes infernales poenas, durabunt finè fine! Quapropter ego à Te peto gratiam, quòd Tibi placeat, ut sim de beatis.*

13. *e. Domine, qui exponis, & explanas Sacram Scripturam, quibus vis! Nos bene poterimus durare ad cognoscendum Te finè fine, postquam Tu nos sustineas; sed quis est, qui tantùm duraverit, quòd æternaliter cognoverit, quòd Tu non habeas principium? Nemo, Dñe.*

14. *Et hoc est, Domine, quia, (quoniam omnes res habent principium, excepto Te) non est aliqua res, quæ duraverit æternaliter, per quam potuerit videri Te esse finè principio.*

15. *Vnde Laus & Gloria & Benedictio sit Tibi, Domine DEVS; quia nemo est, qui Te possit vidisse durare æternaliter finè principio; & nobis dedisti esse, ut videamus, Te esse finè fine.*

16. *f. O Domine tam potens & tam nobilis,*

bilis, quòd non facias gratiam, nisi illis, quibus vis! Quoniam es potens in omni tempore, rogo Te, ne auferas à meo corde contemplationem, quam in illo posuisti; nam, si hoc faceres, mea anima cõtemplaretur viles, & finitas res, & deturparetur in illis.

17. *O Domine DEVS!* Quando finitæ res tentabunt meam animam, rogo Te, ut me facias recolere tuam Æternitatem; nam, qui illam recolit, debet omnia finita ejicere è suâ mente.

18. Et si Tu, *Domine*, mihi facias tantam gratiam, quòd, quoties mea anima volet contemplari finita, me facias recolere tuam Infinitatem & Æternitatem, ego potero gloriari, quòd meî non sis oblitus; imò, quòd sim de illis, quibus Tu dedisti locum ante tuam benedictam Præsentiam.

19. g. *Tu Domine, qui es Spes & Auxilium justorum!* Quoniam me creasti ad durandum, rogo Te, ut me custodias, ne sim tam negligens, sicut fui; nam fui sicut homo, qui est extra suum sensum; quia sum oblitus Tuî, qui es meus Creator & meus DEUS.

60 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

20. *O Domine!* Si aliquis homo velit mirari, miretur de illis, qui sunt negligentes, & pigri in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi, & non miretur de Te, quia es finè fine; nam propriū est tuæ Essentiæ, quòd sit finè fine.

21. *O Domine DEVS!* Quare illi, qui mirantur de Te in hoc, quòd sis finè fine, non mirantur de suis parentibus, qui sciunt illorum principium, & non sciunt finem in quem devenient? Nam facilius est scire finem in re, in qua scitur principium, quàm in re, in qua principium ignoratur.

22. h. *Domine DEVS, qui exaudis peccatores in suis sollicitudinibus!* Quia modicum tempus est inter principium, & finem rei, quæ habet principium & finem; ideò non est impossibile scire finem rei, quæ habet principium.

23. Sed, si essent, *Domine*, tot corda, quot sunt grana arenæ, vel guttæ aquæ, vel atomi in aëre, adhuc non possent intelligere finem in re, que non habet principium; & hoc est ideò, quia omnia illa essent cōprehensa in numero inter principium

cipium & finem; sed non est ita de Te; nam Tu non es comprehensus per numerum, nec per principium, nec per finem.

24. *O Domine!* Quia Tu convertisti meam faciem ad Te, & posuisti omnem meam fiduciam in Te, ideò est rationale, quòd ego Te laudem, & Te benedicam plorando & supplicando Tibi, confidens in Magnitudine tuæ altæ Æternitatis.

25. i. *O Domine DEVS, qui es Confirmatio & Spes illorum, qui petunt misericordiam!* Tu lauderis & ameris; nam propter tuum amorem, quoniam tantum vales, delebo in meo corde omnem amorem, & omnem honorem, & omne desiderium, & omnem recollectionem, præter tuam; ideò, quia omnia præter Te habent principium.

26. Nam, *Domine*, si ego non deleberem in meo corde, & in meo amore res, quæ habent principium & finem, ipsæ delerent me, quia ipsæ habent finem: unde rogo Te *Domine*, ut me adjuves, quòd ego ipsas priùs possim delere in meo corde, quàm ipsæ me deleant de tuo amore.

Do-

62 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

27. *Domine DEVS!* Quoniam meum principium habui in peccato, meus finis sit in tuo servitio rogando, obediendo & amando Te.

28. *O Domine fortis super omnes fortitudines!* Quàm magnam beatitudinem habebunt illi beati, qui Tecum durabunt in gloria? nam, quia scient, Te esse durabilem per omnia tempora, lætabuntur, quando scient, se quoque esse duraturos in gloria per omnia tempora; veruntamen, *Domine*, videtur mihi, quòd, si contingat, quòd intrem in tuam gloriam, magis debeam lætari & gloriari de tua gloria, quàm de mea.

29. *O Domine!* Quàm magnam poenam habebunt illi, qui erunt in inferno! Nam, quia ipsi scient, quòd tuum esse non habebit finem, scient, quòd ipsorum poena durabit sinè fine. Veruntamen, *Domine*, si contingeret, quòd ego ibi essem, videtur mihi, quòd, si Te ibi possem amare, major esset gloria, quam haberem de tua Æternitate & de tua Bonitate, quàm esset poena, quam sustinerem.

30. O Domine aeternae sine ullo fine!
Quoniam Tu es nostra Duratio, sit Tibi
Laus & Virtus, Gratitudo & Benedictio;
quia Tu, Domine, adjuvisti tuum servum
in principio & in fine hujus Distinctio-
nis, quæ explicat ad tuum Honorem &
Laudem, qui es noster Dominus DEUS.

DISTINCTIO IV.

DE UNITATE DIVINA.

CAPUT VIII.

QUOMODO VNVS DEVS TAN-
tùm sit in Esse.

1. O Domine DEVS, qui adjuvas &
succurris nostris sollicitudinibus!
Proprium est tuc benedicto esse, quòd
omnia alia esse capiantur in Te; & ista
proprietas significatur nobis per singu-
laritatem tui benedicti esse.

2. Nihil est in esse, Domine, quod ha-
beat dignitatem & proprietatem essendi

DEUS

64 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

DEUS, nisi Tu tantum; nam omnia sunt privata Divinâ Proprietate, præter Te.

3. *O Domine!* Tua Divina Essentia est quid tam nobile, quòd nulla res habeat potestatem, per quam possit esse DEUS, nec habeat virtutem, nec gratiam essendi Divina Natura, nec est aliquid Tibi simile, quod habeat Sapientiam ordinandi ea, quæ ad Divinam Essentiam pertinet ordinare; & ideò Tu, *Domine*, es unus DEUS, & non est alius DEUS præter Te, quia Tu es ille, in quo est omnis Perfectio, & alia omnia sunt deficientia in Dignitate & Nobilitate.

4. b. *Domine vere DEVS, humilis & potentis!* Quoniam es tam bonus & tam perfectus omnibus Bonitatibus, non est necessarium, quòd alius DEUS sit in esse Tecum insimul; nam ponamus, *Domine*, quòd essent multi DII in esse, & quòd haberent omnem perfectionem, jam non haberent tantam bonitatem, quòd possent facere plura, quàm illa, quæ Tu fecisti; igitur non possent habere virtutem nec honorem supra Te.

5. Et propter hoc, *Domine*, non est
nece-

necessarium, quòd alii DII sint in *esse*, præter Te: & tua Unitas & Singularitas sufficit ad omnia.

6. Igitur certè valdè erraverunt illi, qui desiderarunt, multos DEOS esse in *esse*, & illi, qui crediderunt, quòd plures, quàm unus DEUS, essent in *esse*; nam, quoniam Tu, *Domine*, es tam bonus & completus, certum est, quòd sit magnavilitas & magnus defectus in illis, qui habent respectum nisi erga unum DEUM tantum.

7. c. *O Domine DEVS!* Tibi sint gratiæ & laudes; quia nobis dedisti gratiam, ut intelligamus & sciamus, quòd Tu solus sis in Divino *esse*; nam invenimus, *Domine*, quòd omne id, quod imaginamur & cogitamus in nostro corde, habeat in se defectum, præter Te.

8. *Tuæ Nobilitati & Magnitudini, Domine DEVS, sit Laus & Gloria;* quia nos non sentimus nec scimus aliud sæculum esse in *esse*, nisi hoc, ideo, *Domine*, significat nobis hoc sæculum, non esse alium DEUM, qui sit DEUS alterius sæculi.

E

O Do-

9. O Domine DEVS, benedictus sis Tu!
 Per hoc, quòd non sentiamus, nos esse
 fervos aliorum Deorum, nisi Tuî tan-
 tùm, est conveniens, quòd amemus &
 recolamus & laudemus unum Creato-
 rem & unum DEUM tantùm, & ipsi soli
 serviamus.

10. d. O Domine honorate, plene Pietate
 & omni Misericordiâ! Ego sum ille fal-
 sus culpabilis, qui Te injuriavi & Tuî
 oblitus sum, & converti meam faciem
 ad alias res; quæ culpa est in me ideo,
 quia reliqui tua opera pro aliis.

11. Igitur, Domine, fuerunt valdè vi-
 lia & abjecta mea opera in hoc, quia Tu
 es unus solus DEUS, ad quem pertinet
 omnis Laus, & omnis Amor, & omne
 Dominium; & ego tanquam stultus a-
 mavi, & laudavi, & timui multas res, ad
 quas non pertinet amor, nec laus, nec
 honor, nec timor.

12. Unde certum est, Domine, quòd,
 cùm ego fuevim tam ingratus erga Te,
 sit rationabile, quòd imposterum con-
 fitear, & serviam uni DEO, & uni Do-
 mino tantùm.

O Do-

13. e. O Domine DEVS, qui tuos servos facis esse inamoratos! Quia tua Essentia est una Deitas, & alia Deitas non est in esse, nisi tua, es totus Virtuosus & totus Nobilis & totus Perfectus; & quoniam es ita bonus in omnibus bonitatibus, placeat Tibi non oblivisci nostrum, qui debemus vivere in tua Essentia; & velis, nostram curam non esse in alia re, quàm in serviendo Tibi.

14. Bene scis, Domine, quòd, postquam non est alius DEUS in esse, nisi Tu, non sit conveniens, quòd habeamus, nisi unum Dominum, & unum Judicem: unde lauderis & benedicaris, qui nos posuisti sub tua Sententia, & sub tuo Dominio tantum, & non sub alio.

15. Unde, cum Tu, Domine, sis unus DEUS, unus Dominus universorum, quæ sunt, & Tibi nihil sit par, nec æquale, convenit nos Tibi attribuere omnia bona hujus mundi; nam proprium est bono non esse in esse, nisi per operationem divinam: unde cum non sit, nisi unus DEUS, & bonum non possit venire nisi à DEO, igitur convenit, Domine, quòd
omne

omne bonum cognoscatur Tibi.

16. f. *O Sancta Divina Vnitas!* Quàm magnum mirum est de me, qui amavi & honoravi multos DEOS, quamvis non sit in *esse*, nisi unus DEUS; quia ego, *Domine*, amavi, & honoravi multos DEOS amando multas res cum amore, qui non pertinet, nisi ad amandum DEUM.

17. *up.* Nam ego, *Domine*, multoties personas amavi tantum, quòd diè & nocte non erat aliud in meo corde, quàm amor earum; unde propter magnam stultitiam accipiebam illas, tanquam si essent DEUS in hoc, quòd illas amabam secundum modum, quo Tu, *Domine*, debuisses amari.

18. Unde ista fuit magna stupiditas & stultitia, quòd ego, *Domine*, multa amaverim tanquam si essent DEUS, cum in toto mundo non sit, nisi unus DEUS; nam est ultra omnem stupiditatem & stultitiam amare aliquid tam magno amore, quanto convenit, quòd Tu ameris.

19. g. *O Domine gloriose & mirabilis!* Quàm magna fuit mea stupiditas & stultitia! nam, si ita esset, quòd esset alius DEUS,

DEUS, faciliter separassem meum amorem à Te, & posuissem ipsum in illo: unde laudatus sis, *Domine*, nam cognosco, quòd omnis hic defectus ceciderit in me; quia meum cor multoties à Te recessit & ixit amare vilia, & vana & finita, quamvis scirem illa non esse illius Nobilitatis, cuius est tua Deitas.

20. *O Domine, DEUS!* Quomodo potest esse, quòd in meo corde inveniam tot amores, tot memorationses, & tot desideria, cùm non sit in *esse*, nisi unus DEUS tantùm? nam, *Domine*, quoniam non est in *esse*, nisi unus DEUS tantùm, sufficeret mihi in meo corde non esse, nisi unum amorem, unam cogitationem, unum desiderium & unam memorationem unius DEI.

21. Unde peto à Te gratiam, *Domine*, ut non læter, nec habeam solatium, nisi in Te; & ut mea desideria & meæ memorationses omni tempore sint in Nobilitatibus & Virtutibus tuæ sanctæ Unitatis.

22. h. *Laus & Gloria sit Tibi, Domine,* qui creasti tot Angelos ad honorandum

&

& amandum & serviendum uni DEO,
uni Divinæ Unitati, uni Domino tan-
tùm; qui continuò ex omnibus suis vi-
ribus amant & laudant & serviunt tuæ
benedictæ Essentiæ.

23. *Domine DEVS, nobilis, & excel-
lens!* Tibi sit amor, & gratiarum actio,
qui creasti tot gentes ad amandum & ho-
norandum, serviendum & laudandum
unum DEUM sinè pari & socio; quas
gentes creasti cum libera voluntate Te
amandi & serviendi Tibi, ad hoc, ut
sint dignæ gloriâ.

24. Unde lauderis Tu, *Domine*, tan-
quam justus & verus Dominus, quia Tibi
servitur ab hominibus, qui Tibi attribu-
unt omne bonum, & Tibi servitur ab
hominibus, qui Tibi non attribuunt
omne bonum; nam illi, qui Tibi attri-
buunt bonum, Te laudant; & illi, qui
Tibi non attribuunt bonum, Te excu-
sant à malo.

25. i. *Domine alte & nobilis!* Quàm
magna confusio erit in peccatoribus in-
fernatis, qui in hoc mundo crediderint
in multos DEOS! nam, quando sunt
mor-

mortui, sciunt, quòd non sit nisi unus DEUS in esse; & cognoscunt, quòd sua poena sit sinè fine; propter hoc, quia crediderunt in multos DEOS.

26. Unde lauderis Tu, *Domine*: Nam erit multùm conveniens, quòd DEUS illis det infinitum tormentum; quia eorum amor, & eorum desiderium, & eorum spes fuit in multis Diis.

27. *O Dominus meus, & DEVS meus!* Precor Te, ut me custodias, & me defendas ab eorum societate in alio sæculo, quamvis in hoc sæculo sim ita peccator, sicut illi; nam ille est valde malus locus, in quo Te abscondis & impedis, ne ameris.

28. k. *O Domine DEVS!* Postquam non est alius DEUS, præter Te, volo Te solum amare, & honorare, & Tibi fervire; & adhuc, *Domine*, cùm sciam Tibi nihil esse absconditum, converto ad Te, & præfento Tibi meam animam & meum corpus.

29. Veruntamen, *Domine*, hæc oblatio, quam Tibi facio, est hominis falsi & proditoris & pleni omni fraude; nam
ego

ego sum ille, qui Tibi sum tam culpabilis, quòd si contingeret posse fieri, quòd me possem ponere in dignitate, in qua Tu es, Te expuliffem, & me in illa posuiffem; nam ego sum ille, qui magis amavi meum *esse*, quàm tuum.

30. Unde cùm sim tam culpabilis, & ingratus erga Te, effiet rationabile, *Domine*, quòd ita citò solveres omnes poenas ad torquendum me, sicut repentina pluvia, quæ subitò de coelo descendit; nam ille est dignus omnibus poenis, qui magis amat suum *esse*, quàm *esse* sui DEI.

CAPUT IX.

*QUOMODO DIVINA ESSENTIA
sic una Substantia tantùm.*

1. **O** *DEVS* *unus*, cui non invenitur socius, *ocius*, nec equalis! Tu non es duæ Substantiæ, nec tres, nec plures, quàm tres; imò es una Substantia tantùm, quæ est simplex, & non composita, nec conjuncta, nec disjuncta in se ipsa.

Et

2. Et hoc idem, *Domine*, est de tua Vita; nam illa non est duæ Vitæ, nec est plures, quàm duæ, sed est una Vita tantum; nam tua tota Unitas est viva, & est tota amabilis & sapiens & gloriosa.

3. Hoc idem, *Domine*, est de tuo benedicto Amore; nam Amor, qui est in Te, est unus, & non est duo, nec plures, quàm duo; & hoc est ideo, quia omne id, quod Tu es, est Amor amans suammet Essentiam.

4. *O Domine DEVS, qui remuneras homines pro tuo Amore laborantes!* Laudetur tua magna Potestas; nam ipsa est una in tua Substantia, quia in tua Essentia non est, nisi una Potestas tantum.

5. In tua benedicta Substantia, *Domine DEVS*, non est, nisi una Sapientia tantum; nam tua tota Unitas est sciens tuam totam Deitatem.

6. Et in tua benedicta Substantia, *Domine*, non est, nisi una Voluntas tantum; nam omne id, quod vis esse, es, & omne id, quod placuit creare tuæ benedictæ Voluntati, creati.

7. *O Rex Gloria, qui remuneras & salvas*

salvas tuos servos à malo! In tua Substantia non est, nisi una Æternitas; quia in illa non est aliquid prius alio, nec aliquid antecedens, nec consequens.

8. Laudetur, *Domine*, tua nobilis Effentia; nam in illa non est aliquid magis virtuosum, nec magis nobile, quàm aliud; & hoc est ideo, quia omne id, quod est in illa, est infinitum sinè ullo termino.

9. Tota tua Substantia, *Domine*, est virtuosa, benedicta sit illa; & in illa non est ulla defectibilitas, quia est tota perfecta Virtus.

10. d. Cùm tua sancta Effentia, *Domine DEVS*, sit una in Natura, deberemus illi facere magnam laudem, & magnum honorem; nam tua Substantia non est conjuncta cum alia natura, nec est disjuncta ab alia natura, imò semper est una in sua Natura.

11. Quia tam altæ & gloriosæ Naturæ es, *Domine*, quòd nulla alia Substantia habeat tuæ Naturæ æqualem; nam tota tua Substantia est Natura divina, & nihil aliud habet Naturam divinam, nisi tua Substantia tantùm.

Tue

12. *Tua Sanctæ Unitati, Domine, fiat Reverentia & Laus*; nam ipsa est vera Unitas sinè conjunctione alterius rei, & non est ulla substantia tam bene una in se ipsa, sicut tua; quia tua Unitas est multò meliùs una Unitas, quàm sit ulla alia res.

13. e. *Domine DEVS!* Tua Substantia est verè una in Simplicitate; nam ipsa prius fuit in *esse*, quàm tempus & locus essent in *esse*; & ideo, quia fuit priùs, est impossibile, quòd ipsa sit composita Substantia; nam, si tempus & locus non essent, non esset quid compositum in *esse*.

14. Tua Substantia, *Domine*, est multùm simplex in Unitate; nam creata substantia non est æqualis tuæ in Simplicitate, quia tua non intrat in compositionem, nec recipit corruptionem; & hoc, *Domine*, facit quælibet elementalis substantia, quantumcunque simplex sit.

15. Tam magnum mirum est, *Domine*, Unitas tuæ Substantiæ, quòd nullum cor posset comprehendere, nec os posset dicere, nec aures posset audire veram Unitatem, quæ est in tua Essentia.

O Do-

76 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

16. f. *O Domine firme, fortis super omnes fortitudines! Quoniam Unitas & Singularitas, quæ est in Te, est tam magna, habemus magnam rationem, Te amandi & Te laudandi & Tibi serviendi.*

17. *Adhuc, Domine, est nobis conveniens confiteri unum DEUM esse in una Unitate, & credere unum DEUM, & intelligere unum DEUM finè omni focio.*

18. *Unde propter hoc, Domine, tuus servus confitetur ante tuum benedictum Altare unum DEUM tantum, & unam divinam Substantiam; & negat esse duos DEOS, & duas divinas Substantias.*

19. g. *O Liber Domine, in quo est omnis Perfectio! Tu ameris & honoreris; nam sicut es unus DEUS, una divina Substantia; ita debemus habere amorem, & spem in una divina Effentia.*

20. *Quoniam, Domine, es unus in Effentia, quis est, qui debeat timere, nisi unum? & cujus Sententiam debet homo pavere, nisi unius? nam timere aliquid aliud, præter Te, est frustraneus timor.*

21. *O Domine DEVS! Benedictus sis Tu;*

Tu; nam, sicut est propria tuæ Substantiæ Unitas, ita est Tibi proprium, non oblivisci illorum, qui in Te confidunt; nam, quoniam es verè Unus, non est in Te aliquid, quod Tibi resisteret ad faciendum gratiam illis, qui ipsam à Te petunt.

22. h. Pauper & misera est, *Domine*, unitas nostræ corporalis substantiæ; nam illa dividitur per pulverem in atomos; sed tua Unitas est valde magna & mirabilis; nam ipsa est tam firmiter una, quòd nullo tempore in illa poterit esse aliquid, per quod non sit una.

23. Si mea composita substantia, *Domine*, est misera & fragilis & defectuosa omnibus modis, Tu lauderis, & benedicaris in hoc, quòd non sit in Te ulla illarum fragilitatum, quæ sunt in me.

24. Igitur, *Domine*, quoniam tua Unitas est tam fortis & tam nobilis, & mea tam vilis & tam misera, Tibi, *Domine*, cognoscatur Gloria & Laus & Benedictio & Dominium, & mihi omnis fragilitas & miseria, tanquam homini vili, & modici valoris, & pauperis potestatis.

Pater

25. i. *Pater Domine!* Opus est nobis; qui sumus homines duarum facierum, & pleni falsitatibus, & fraudibus, quòd caveamus à Te, *Domine*; nam Tu es tam fortis in Unitate, quòd tua Voluntas non mutetur, & tua Sententia non alteretur.

26. *O Domine DEVS!* Quid facient homines levis intellectûs, & illi, qui de virtutibus vadunt in vitia, & de vitiis in virtutes? Nam, quamdiu ipsi sunt ita duplices, non erunt in præsentia tuæ Gloriæ, nec tuæ Unitatis.

27. Quid fiet, *Domine*, de miseris infidelibus, qui credunt contra veritatem? sciant omnes illi, se cum falsa credentia non esse perventuros ad gratiam tuæ benedictæ Essentiæ.

28. k. Quamvis Tu, *Domine*, sis una Substantia tantùm, per totùm hoc non sequitur, quòd nos Tibi non debeamus attribuere multas Virtutes, & quòd non debeamus dicere de Te multas Nobilitates; nam multæ Virtutes sunt in Te, & valde bene possunt dici & intelligi de Te.

29. Igitur, quoniam Tu, *Domine DEVS,*

DEVS, es una Essentia, de qua debent dici multæ laudes, convenit, *Domine*, quòd faciam tenerum meum cor, & quòd ex meis oculis effundam lacrymas, & genuflectam, & elevem meos oculos & meas manus cum vera contritione versùs cœlum.

30. Convenit etiam, *Domine*, quòd aperiam meum os, & dicam: Gloria & Laus, Reverentia & Honor sit Tibi, *Domine DEVS*, qui es una Divina Substantia.

CAPVT X.

*QUOMODO MVNDVS NON SIT
creatus nec factus, nisi ab uno
Creatore tantùm.*

1. **O** *Domine DEVS magne & Mirabilis!* Tu lauderis & benedicaris in hoc, quòd nos non habeamus alium Creatorem, nisi Te tantùm; nam, antequam mundus esset in *esse*, non erat aliquid in *esse*, præter Te.

2. *Tibi, Domine DEVS, detur Laus &*

80 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

& *Gloria per omnia tempora*; nam Tu tantum es unus *Ordinator*, & unus *Formator*; nihil enim est potens ordinare mundum, præter Te, quia nihil potest à Te abscondi.

3. *Amor & Placitum, Gloria & Virtus cognoscantur in Te, Domine DEVS*; nam Tu solus es unus noster *Recreator*; cum omne aliud, præter Te, non esset dignum, quòd esset *Recreator*.

4. b. *O Liber Rex, in quo est omnis Libertas & omnis Charitas! Benedictus sis Tu* nam, non est alius *Benefactor*, præter Te, quia vivificas omnes homines & omnes bestias & omnes aves & omnia vegetabilia. Quis enim est, qui det pluviam vel rorem, nisi Tu? & quis est, qui faciat florere & fructificare, nisi Tu?

5. *Humilis Domine, plene omni Pietate & omni Doctrina! Benedictus sis Tu*; nam solus es ille, qui remittis & deles peccata nostra; nam, non est alius *Remissor & Adjutor* noster, præter Te.

6. *O Domine DEVS, quàm magna est tua Nobilitas, & Bonitas! Nam Tu es ille, à quo nascitur, & derivatur omnis Gratia,*

Gratia, & alius, præter Te, non est dignus esse dator Gratia; quia nulla res habet potestatem vel dignitatem donandi aliquid, nisi Tu.

7. c. *Domine magne, fortis, excellens super omnes altitudines, & honorate super omnes honorificentias!* Tu ameris, & Tibi fiant gratia, quia Tu solus es ille, qui habet Potestatem vivificandi & mortificandi homines; nam quis est, qui possit conjungere dispersas atomos, vel conjungere disjuncta ossa, vel qui posset reducere animas in corpora, nisi Tu?

8. *Tua sanctæ Vnitati, Domine DEVS, fiat Reverentia & Honor & Amor;* nam Tu solus es Judex justorum, & peccatorum; non enim est alia res, quæ hominem posset remunerare in gloria, vel in poena, nisi Tu; nec est aliquis qui tam bene sciat Veritatem nostrorum operum, sicut Tu.

9. Auditum & scitum est, *Domine DEVS,* quòd in toto mundo non sit alius, qui sit noster Salvator, nisi Tu; nam non est ullus, qui sit dignus dandi tam magnum donum, sicut est Paradisus, nisi Tu;

F

quia

quia Paradisus non est alterius, nisi Tuus; unde lauderis, *Domine*, qui es potens dare tam altum & tam nobile donum.

10. d. *Vbi est Pietas & Gratia, Domine DEVS, nisi in Te?* Quia solus es, qui es Misericors; nam magnum bonum, quod posuisti in nobis, non potest in nos venire, nisi à tua magnâ Misericordiâ: benedicta sit illa.

11. *O Domine DEVS!* Quàm magnam rationem habemus, Te amandi, & laudandi, & Tibi serviendi? nam in toto mundo non est alius, præter Te, qui glorificet justos in Gloria; quia Gloria non potest esse, nec venire in nos, nisi à Te, cùm homo glorificetur tantùm in Te.

12. *O Rex amorose, vere Domine omnium regnorum! Benedictus sis Tu;* quia solus es noster Dominus, & non est alius Dominus, præter Te; nam non est ullus alius, qui sit dignus esse Dominus, nisi Tu; & hoc est, quia omnia à Te, & per Te fuerunt facta & principiata.

13. c. Tibi, *Domine DEVS*, do & offero meam animam & meum corpus, & si plus haberem, plus Tibi darem; nam
in

in hoc mundo non est alius factor, præter Te; & propterea convenit, nos non amare aliquid aliud, nisi Te.

14. Est stultitia & dementia, *Domine DEVS*, aliquid amare, servire vel honorare, nisi Te; nam Tu solus es, qui nos custodis, & nos amas; quid igitur erit de tuo servo, qui tot alia amavit?

15. *O Domine DEVS!* Tuus servus agit Tibi gratias & gratiarum actiones, quia Tibi placuit ipsum habere majorem pavorem de tuo Judicio solo, quàm de judicio gentium illudentium per plateas, de quorum Judicio antea habebat majorem pavorem, quàm de tuo.

16. f. *O Domine vere DEVS, qui oculis Misericordie aspicias tuas creaturas!* Benedictus sis Tu; nam non est alius Remissor peccatorum, præter Te; peccatum enim non fit contra alium, nisi contra Te, quamvis petierim remissionem ab aliis, quibus non erat datum remittere, nisi respectu Tuû, & per suam intercessionem apud Te.

17. In Te, *Domine DEVS*, est omne bonum, & omne complementum sine ullo

84 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ullo defectu; quapropter non est dignum, quòd laudetur & serviatur & ametur, nisi unus Dominus, qui est suprema Bonitas: sed ego, *Domine*, sum tam inordinatus & vilis, quòd multa amaverim & laudaverim, & ipsis serviverim, quamvis essent misera & vana.

18. Tu, *Domine DEVS*, benè scis, quòd omne bonum, quod est in nobis, totum debeat Tibi cognosci, & pro omnibus Tibi debeant fieri gratiæ & laudes; sed ego, tanquam stultus, bonum, quod Tibi debebam cognoscere & regratiari, cognoscebam & regratiabar alteri, in quo nulla dignitas est, per quam debeat dare bonum, nec possidere bonum.

19. g. *O Rex gloria, qui ordinas & dirigis totum mundum, & es spes nostra!* Tu solus es unus *DEUS*, & in Te solo convenit esse omnem nostram spem & fiduciam; nam, quando nos inordinamur & corrumpimur, Tu solus es, qui nos ordinas, & nos reparas, & nos melioras.

20. Ratio & gratitudo est, *Domine DEVS*, quòd, quoniam per tuam Excellentiam es altus & nobilis super omnes

CREA-

creaturas, & ego sum inferior, quàm ulla creatura ratione meæ miseriæ & meæ magnæ culpæ, alium Dominum non ve-
rear, nec timeam, nec amem, nisi Te.

21. *O Domine humilis, plene omni
Simplicitate & omni Benignitate!* Quàm
magna esset mea beatitudo, si velles,
quòd totaliter essem obligatus & com-
prehensus in amando & laudando Te, &
serviando Tibi ex omni meâ potestate,
& in omnibus meis diebus essem tuus
servus & famulus?

22. h. Qui vult exire de tenebris, &
de gravibus peccatis, quærat Te, *Domine
DEVS*; nam, quàmprimum Te invenerit,
erit lucens, & splendens, & mundatus ab
omni vilitate, & ab omni immunditia.

23. *O quàm bona dies esset mihi,
Domine DEVS, si me adeò possem forti-
ficare, quòd mea mens die & nocte esset
in contemplando in Te; nam ipsa tantum
purificaretur, & clarificaretur in tua ami-
citia, quòd illa, quæ modò habent po-
testatem me tentandi, & inordinandi,
tunc parum potestatis haberent nocen-
di mihi.*

In Te,

86 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

24. In Te, *Domine DEVS*, confido, & in Te habeo meam Securitatem & meum Solatium; nam es tam nobilis, & tam bonus, quòd meliùs sit esse tuus amicus, & Tibi tantùm familiaris, quàm ulli alteri rei; & hoc ideo, quia multò meliùs est habere societatem, & amicitiam unius DEI, quàm multorum hominum: igitur placeat Tibi me assumere in servum, ut in me non sit familiaritas ullius vilis societatis.

25. i. Tu, *Domine DEVS*, benedicaris & lauderis, cùm sis tam pius & tam plenus Gratiâ: &, quoniam tantùm vales, placeat Tibi, quòd in Te solo ponam omnem meam Lætitiâ; nam, postquam illam in Te posuero, ero ita in Te, quòd nihil me poterit confundere, nec destruere.

26. *O Liber Rex, sancte, gloriose!* Si Tibi placeret, quòd non consolarer, nec cum alio lætarer, nisi cum Te, esset magnus amor, quem mihi faceres; nam, quotiescumque effem in nemoribus, & in locis agrestibus inter bestias Sylvaticas, postquam Te haberem & tenerem

in

in meo corde, videretur mihi esse in Civitate, vel in loco populato inter meos amicos,

27. Gratia & Laudes fiant Tibi, *Domine DEVS*, qui me facis memorare: quomodo in Castellis & Civitatibus solebam esse Socius sylvaticarum bestiarum, ingratarum & plenarum peccatis; & quia meum solatium & delectatio erat cum illis bestialibus gentibus, non cognoscebam illarum feritatem, & errorem, quem modò me facis cognoscere, tanquam Dominus pius, & misericors, qui es.

28. k. Tuæ sanctæ Unitati, *Domine DEVS*, dono & commendo totum me ipsum; & placeat Tibi, quòd memorem tuam Misericordiam; nam totus confido in tua Unitate.

29. *O Domine DEVS!* Quoniam es Pater Patrum, & Dominus Dominorum, utinam esses per tuum sanctum beneplacitum Medicus meorum vulnerum; nam non habeo alium medicum, nisi Te.

30. Si contingat, *Domine DEVS*, quòd in mea mente non sentiam aliud, nisi

88 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nisi Te, nec in meo corde sentiam amari
aliud, nisi Te, cognoscam, quòd sana-
veris tuum servum à suis gravibus vul-
neribus, & à suis magnis doloribus; &
cùm fueris in principio & in fine hujus
Distinctiõnis, tuus servus agit Tibi gra-
tias & laudes, qui es suus Dominus
DEUS.

DISTINCTIO V.

DE TRINITATE DIVINA.

CAPUT XI.

QUOMODO DIVINA SUBSTAN- tia sit tres Personæ.

1. **D**EVUS *une in Trinitate!* Benedictus
a. **D** sis nunc & per omnia tempora;
quia per hoc, quòd intelligimus in tua
Deitate Generationem & Processionem,
convenit, quòd intelligamus tuam Dei-
tatem esse in tribus Personis.

2. *O Sancta Trinitas in una Unitate!*
Lau-

Laudata & confessa sis, nam in hoc, quòd in Te intelligamus rem generantem, & generatam, & rem procedentem, necessariò convenit, quòd in Te confiteamur & credamus tres Personas; quia Generans non est Persona Geniti nec Procedentis, nec Genitus est Persona Generantis nec Procedentis, nec Procedens est Persona Generantis nec Geniti.

3. *O Sancta Trinitas benedicta!* Quoniam Tu es una Essentia, & tres Personæ dicuntur esse in Te, & una Persona non est alia; requirit ratio, & ordinatio, quòd quælibet Personarum habeat suum Nomen appropriatum; ut per Nomen intelligamus nominare quamlibet Personarum, & per Nomen possimus credere, & adorare, & laudare quamlibet earum.

4. b. Bene scis Tu, *Domine DEVS*, quòd illud, quod generat genitum, debeat habere nomen Personæ Patris ideo, quia est generans.

5. Et illud, *Domine DEVS*, quod est Genitum, debet nominari Persona Filii ideò, quia recipit Generationem ab illo, quod debet dici Persona Patris.

Vnde

6. *Vnde benedictus sis Domine DEVS!*

Quoniam hoc idem debet sequi de Procedente à Patre & Filio ; nam , quia est Procedens à Patre & à Filio , debet nominari Persona Sancti Spiritûs.

7. c. *O glorise Domine!* Tibi sit Benedictio, Laus, Honor & Servitium in omnibus temporibus & post tempora; nam generatio, quâ Pater generat Filium, non est similis generationi, quæ fit in creaturis, & hoc idem est de Processione Sancti Spiritûs; nam Generatio Filii, & Processio Sancti Spiritûs est sine Principio, & sine Fine , & omnis alia generatio, & processio habet principium , & finem.

8. *Laus & Gloria sit Tibi Domine DEVS!* Nam Persona Filii non recipit Generationem à Patre, sicut res creatæ eam recipiunt aliæ ab aliis ; nec dat Processionem Sancto Spiritui , sicut creaturæ procedunt aliæ ab aliis; quia Generatio, quam Filius recipit, & Processio , quam dat, est sine principio & sine fine.

9. *Timeatur & ametur , Domine DEVS, tuum magnum Dominium!* Quia Processio, quâ Persona Sancti Spiritûs procedit

cedit à Patre & Filio, non est similis processioni, quâ aliæ creaturæ procedunt ab aliis; nam convenit, quòd omnis processio, quæ est in creaturis, habeat principium & finem, & Processio Sancti Spiritûs sit finè omni Principio & finè omni Fine.

10. d. *Tua Sanctæ Trinitati in Unitate, Domine, fiat Laus & Honor & Amor & Reverentia!* Nam Unitas est ita trina in Trinitate, & Trinitas est ita una in Unitate, quòd nulla Personarum posset esse finè alia; quia quælibet est talis naturæ, quòd cû alia sit una Divina Substantia.

11. Et, quòd hoc sit verum, *Domine*, de hoc possumus capere exemplum in homine; nam, sicut homo est tria, scilicet corpus, anima & Spiritus, & nullum horum trium posset esse humana substantia finè aliis; ita nulla trium Personarum posset esse in *esse* finè *esse* alterius in Divina Substantia.

12. *O Domine DEVS amorose!* Benedictus sis in hoc, quòd ita proprium est cuilibet trium Personarum, quòd una cum aliis sit una Divina Substantia; sicut est

92 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
est proprium Personæ Patris generare
Filium, & dare Proceſſionē Sancto Spi-
ritui; & Personæ Filii est proprium esse
genitam, & dare Proceſſionem Sancto
Spiritu; & Sancto Spiritui est proprium
esse Procedentem à Patre & Filio.

13. e. *O Domine DEVS, in quo est tanta
Sapientia, quòd nihil, quamvis sit secre-
tissimum, à Te possit esse absconditum!*
Ita sunt tres Personæ in Unitate, quòd
nulla trium Personarum possit quid-
quam agere finè aliis; & hoc est, quia
Pater non posset generare Filium, si Filius
non reciperet Generationem ab eo, nec
posset dare Proceſſionem Sancto Spi-
ritui, si Sanctus Spiritus non reciperet
Proceſſionem à Patre.

14. *O Durabilis Domine! Benedictus
sis Tu;* nam Persona Patris non posset
dare Proceſſionem Sancto Spiritui, si Fi-
lius non reciperet Generationem à Patre,
& non daret Proceſſionem Sancto Spi-
ritui; nec Persona Filii posset recipere
Generationem à Patre, si non esset ge-
nitus à Patre, & non daret Proceſſionem
Sancto Spiritui.

Et ad-

15. Et adhuc pertinet ad tuam Unitatem, *Domine DEVS*, quòd Persona Sancti Spiritûs non posset recipere Processionem à Patre, nec à Filio, si Pater non esset generans, & Filius non esset genitus, & si Pater & Filius non darent Processionem Sancto Spiritui.

16. f. *Benedicte Domine DEVS, Tu amaris & honoreris in Vnitate & in Trinitate!* Quoniam tua Natura est in tali Proprietate & Conditione, quòd nulla Personarum posset esse in *esse* unius Substantiæ Divinæ, si non haberet Naturam & Proprietatem, quam habet.

17. In Natura & Proprietate divinarum Personarum significatur, *Domine*, quòd una Persona non posset esse sine alia; nam, si non esset Persona Filii & Sancti Spiritus, esset impossibile, quòd Persona Patris esset in *esse*; & hoc est, quia Pater non est aliud, nisi id, quod Generat Filium & dat Processionem Sancto Spiritui. Et hoc idem est de Persona Filii; nam si Pater non esset, nec Sanctus Spiritus, Filius non posset esse, quia Filius est id, quod recipit Generationem

94 *B. Raym. Lulli Lib. Contèmpl!*
tionem dando Processum Sancto Spi-
ritui. Et hoc idem est de Persona Sancti
Spiritûs ; nam, si non esset Pater nec Fi-
lius, Sanctus Spiritus non esset in *esse*,
quia Sanctus Spiritus est id, quod proce-
dit à Patre & Filio.

18. Unde Laus & Gloria attribuatur
Tibi, *Domine DEVS*, tanquam sancto &
benedicto Domino, qui es. Nam, sicut
una Persona non posset esse sinè alia, ita
significatur, quòd nulla Personarum sit
prior aliâ, quamvis una sit Generans, &
alia Genita, & alia Procedens.

19. g. *O Sancta Trinitas, una Vnitas!*
Benedicta sis Tu ; nam, sicut Generatio
& Processio non possent esse in Te per
unam vel per duas Personas tantùm sinè
omnibus tribus, ita nulla Personarum
posset in hoc mundo quidquam facere
sinè aliis.

20. In hoc, *Domine DEVS*, quòd
tua Natura sit talis, quòd nulla Perso-
narum posset esse, sinè aliis, nec una po-
sset aliquid operari sinè aliis, significatur
nobis, quòd nulla earum sit majoris Vir-
tutis, quàm aliæ, nec una plus valeat,
quàm aliæ. Igi-

21. Igitur, *Domine DEVS*, quoniam tua benedicta Effentia est una Substantia in Trinitate, & Trinitas est una Divina Substantia, est rationabile, quòd amemus & laudemus & benedicamus & credamus tuam Effentiam in Unitate & Trinitate.

22. h. *O Excellens Domine, alte, mirabilis!* Tu adoreris & timearis per omnia tempora; nam est valde magna stupiditas in hominibus, qui mirantur, quòd possis esse in Trinitate, & tua Trinitas possit esse una Unitas; nam, quoniam volunt mirari, cur non mirantur de se ipsis, qui sunt in tribus rebus, & tres res sunt una humanitas? nam quilibet homo est corpus, & anima, & spiritus, & hæc tria sunt una humana substantia.

23. Unde hoc, de quo ipsi mirantur, *Domine*, non est aliquid, de quo deberent mirari; imò esset unum majorum mirabilium, si homo, qui est aliquid temporale, posset esse unus in tribus, & Tu, qui es æternus, non posses esse Unus in Tribus; nam, quia homo ad Nobilitatem, & Bonitatem sui *esse* est unus in tribus,

bus, benè videtur verum, quòd Tu possis esse unus in tribus Personis, quoniam hoc est ad Nobilitatem tui *esse*.

24. Nam, sicut homini melius est esse corpus & animam & spiritum, & ista tria esse unam humanam substantiam, quàm esset, si esset unum vel duo tantùm; ita, *Domine*, est Tibi melius esse in Trinitate Personarum, & Unitate Essentia.

25. i. *O Domine DEVS, qui es laudatus & benedictus!* Benè scis, quòd, quia noster intellectus vult intelligere ultra terminum, in quo est inclusus, ideo incipiat mirari; nam non est mirum, si homo miretur, quando non potest intelligere nec comprehendere hoc, quod non est suæ naturæ posse intelligere & comprehendere; inò esset majus mirum, si intelligeret hoc, quod est extra suam naturam intelligendi.

26. Nam, *Domine*, quando nos consideramus in Generatione Filii & in Processione Sancti Spiritûs, miramur, quia in ea non possumus intelligere Principium nec Finem: & id, unde nobis venit admiratio, est, quia Divina Generatio &

& Processio est extra terminum, intra quem noster intellectus est comprehensus; & nos, *Domine*, erramus in hoc, quòd in tua Deitate ita velimus intelligere & scire, sicut intelligimus & scimus intra terminum, in quo noster intellectus est liber ad intelligendum & sciendum principium & finem generationis & processions creatarum rerum habentium principium & finem.

27. *O Domine DEVS!* Benedictus sis; quia multò magis debemus mirari de nostra ignorantia & stupiditate, quomodo possit esse tam magna, quàm de Generatione & Processione, quæ est in tua Essentia; nam sumus tam stupidi, quòd nobis videatur, quòd, sicut generatio & processio, quæ est in creatis rebus, habent principium & finem, ita debeant habere Principium & Finem Generatio Personæ Filii & Processio Personæ Sancti Spiritûs, quæ sunt sinè principio & fine: unde hæc est de majoribus stupiditatibus, quòd creatæ res non sint in æquali natura cum tua, & nos putemus in Te intelligere hoc, quod intel-

G

ligi-

ligimus in creatis rebus.

28. k. „*Tibi, Domine DEVS, Laus & Gloria & Gratiarum actio; quia Tibi placuit facere tuo seruo tantam Gratiam & Misericordiam, quòd ipsum illuminaueris per Librum, qui appellatur Liber Rationum in tribus Legibus, per quem cognovit tuam Divinam Substantiam esse in tribus Personis, & in eo cognovit certicatè quatuordecim Articulos Fidei, & Legem Christianorum esse veram & meliorem, quàm omnes aliæ Leges.*

29. Unde Te laudet, *Domine*, & amet & honoret, & Tibi seruiat tuus seruus; quia postquam ipsum fecisti legere in illo Libro, fuit certificatus in vera Fide, & omne dubium fuit remotum à sua Fide, & habuit veram cognitionem de Veritate cum veris Rationibus, & cum logicalibus Argumentis sinè omni falsa opinione.

30. Et propterea, *Domine*, tuus seruus ex omni sua potestate Te orat, & Tibi supplicat, & Te amat, & Te laudat, sicut potest, & confitetur Personam Patris

tris

tris esse Divinam Personam, & Personam Filii etiam, & Personam Sancti Spiritus similiter; veruntamen non dicit tres DEOS esse in *esse*, sed unum, qui est una Divina Essentia in tribus Personis, & tres Personæ sunt una Substantia Divina.

CAPUT XII.

*QUOMODO TRES PERSONÆ
sint una Substantia Divina.*

1. **O** DEVS Pater & Dominus omnium!
a. **O** Sanctitas & Altitudo & Nobilitas & Vnitas cognoscatur esse in Te; nam, sicut tua Substantia est in tribus Personis, sic tres Personæ sunt una Substantia.
2. Tibi, Domine DEVS, sint laudes & gratie & gratiarum actiones; qui elevasti nostrum Intellectum adeò, quòd venerimus ad cognitionem, & habeamus certificationem & veram credentiam, quòd tres Divine Personæ sint una Substantia Divina. Do-

3. *Domine DEVS!* Nos possumus intelligere, Angelum esse tres res, quæ sunt *Vita, & Subjectum, & Proprietas* exiens de vita & de subjecto in hoc, quòd vita sit in subjecto, & subjectum sit res viva per vitam, quæ est in eo: unde, sicut possumus intelligere istas res esse unam angelicam Substantiam; sic possumus intelligere tres Divinas Personas esse unam Divinam Substantiam, & unam Divinam Substantiam esse tres Divinas Personas.

4. b. *O Rex Gloria, qui remuneras homines, qui pro amore Tuû laborant!* Sicut Substantia Angeli est in tribus rebus, quin sit composita ex corporali materia & forma, sic, *Domine*, tua Divina Substantia non est composita, quamvis sit in tribus Personis.

5. *O Domine ordinate, sapiens!* Tu benedicaris & lauderis & ameris in hoc, quòd, quamvis tuæ tres Personæ sint infinitæ, non propterea est ordinatum, debere dici tres res *esse* infinitas; imò est ratio, quòd dicamus unam Substantiam esse illam, quæ est infinita.

O Do-

6. *O Domine, dulcis, patiens, plene omni gratiâ!* Quamvis Personæ sint æternæ sinè principio & sinè fine, tamen homo non debet dicere, tres æternos esse; imò debet dicere, unam Substantiam esse æternam sinè Principio & Fine.

7. c. *Amate Domine! Tibi sit honor, timor, obedientia & benedictio;* nam, quamvis quælibet trium Personarum sit potens super omnia, tamen homo non debet dicere, tres esse potentes super omnia, imò debet dicere unam Divinam Substantiam esse potentem super omnia.

8. *Patiens Domine, dulcis, humilis, & suavis!* Tu bene scis, quòd, si quælibet trium Personarum esset una Substantia per se, quæ esset infinita & æterna & omnipotens, sequeretur, quòd essent tres DII in esse; quod est impossibile.

9. *O honorate Domine!* Tam nobilis & honorata res est Infinitas, & Æternitas & Omnipotentia, quòd nullus, in quo sint istæ Virtutes, possit habere parem nec æqualem; quapropter secundùm hoc non potest esse in esse, nisi una omnipotens, æterna & infinita Substantia.

O Do-

10. d. O Domine, qui recreasti & repa-
rasti totum mundum cum tua sancta In-
carnatione & Passione! Benedictus sis;
nam, sicut est conveniens unam Divinam
Substantiam esse in tribus Divinis Per-
sonis, sic est conveniens tres Divinas Per-
sonas esse unam Divinam Substantiam.

11. Et hoc est, Domine DEVS, ratio-
ne magnæ convenientiæ, quæ est inter
tuam Trinitatem & tuam Unitatem;
nam, si tres Personæ non essent in esse,
Divina Substantia non esset in esse; Et,
si Divina Substantia non esset in esse, tres
Divinæ Personæ non possent esse in esse.

12. Igitur, Domine verax, nobilis,
alte, mirabilis, quid prodest homini, qui
laudat & amat unam Divinam Substan-
tiam, postquam ignorat Trinitatem,
quæ est in illa? nam nulla Bonitas, nec
Nobilitas posset in illa esse sinè Trini-
tate Personarum.

13. e. In Te, Domine sapiens & humi-
lis, est major propinquitas & major pro-
prietas Unitatis & Trinitatis, quàm sit
in ulla alia re; nam multò meliùs con-
venit tuæ Estentiæ, esse Unam in Trini-
tate,

tate, & Trinam in Unitate, quàm ulli rei conveniat & appropinquetur alia; quia hoc, quod in Te est Trinitas, est in Te Divina Unitas; & hoc, quod in Te est Unitas, est in Te Divina Trinitas.

14. *Gloriose Domine!* Valde mirabile est de illis hominibus, qui non audent Te adorare, & credere in Trinitate; quoniam tua Unitas, sic est una in Trinitate.

15. *O Nobilis Domine!* Homines, qui timent & dubitant adorare & credere Te in Trinitate, ideò hoc faciunt, quia timent, ne, si crederent in Te Trinitatem, crederent in tres DEOS.

16. f. *O Domine DEVS, qui es nostrum auxilium & nostra directio!* Amatus & honoratus sis Tu; quia, sicut est impossibile, quòd sint tres DII in *esse*, sic est impossibile, quòd non sint tres Personæ in uno DEO.

17. Igitur, *Domine DEVS*, illi, qui non audent credere in tres Personas, similiter deberent non audere credere in unum DEUM; nam, sicut est impossibile, quòd tres DII sint in *esse*, sic est impossibile, quòd

quòd tres Personæ non sint in *esse*.

18. Qui scit, *Domine*, cognoscere & intelligere res intellectuales cum rebus sensualibus, potest bene cognoscere, & intelligere, si velit, quòd, sicut est peregrinum & impossibile tres DEOS esse in *esse*, sic esset peregrinum, tres Personas non esse in *esse*.

19. g. *Largitas & Libertas & omnis Bonitas cognoscatur in Te, Domine DEVS!* Quia nulla res est, quæ sit tam purè & tam simpliciter & tam sincerè in Unitate & in Trinitate, sicut est tua Unitas in Trinitate, & tua Trinitas in Unitate.

20. *Domine DEVS!* Unitas hominis, quæ est in tribus rebus, quamvis sua humanitas sit tres res, & tres res sint sua humanitas, tamen tres res in illo non sunt tam benè una Unitas, nec sua Unitas est tam bene tres res, sicut in Te tres Personæ sunt una Substantia, & una Substantia tres Personæ: & hoc est, quia convenientia, quæ est in unitate hominis, & in tribus rebus, est cum principio & fine, & consistit in tempore; sed tua Unitas & Trinitas est sinè principio &

& fine, & fuit antequam tempus esset in esse.

21. *O Domine DEVS!* Quàm magnum malum, & quàm magnus dolor & perdurabilis labor est præparatus illis, qui nolunt credere in tuam Sanctam Trinitatem? Quia melius esset eis non esse in esse, quàm esse in esse; adeo magna erit ipsorum pœna, quia non credunt in illam.

22. *h. O Domine vere DEVS!* Quàm magnum mirum est de illis discredentibus, qui dubitant credere in tuam Trinitatem! Nam, si tua Essentia esset defectuosa & vitiosa, & reciperet ullum defectum Virtutis ratione suæ Trinitatis, non esset mirum, si dubitarent credere in illam; quia idem ego facerem; sed, quoniam tua Essentia, *Domine*, inde non pejoratur nec minuitur, licet sit in Trinitate, certè sunt stulti, quia dubitant credere in tuam Trinitatem.

23. *O Sancta Trinitas benedieta!* Homines dubitantes credere in Te, sunt similes homini, qui ex una parte laudat suum Dominum, & ex altera eum vituperat. Nam

24. Nam illi, qui non volunt credere in Trinitatem, laudant Te in hoc, quòd dicant, quòd sis unus DEUS tantum sine æquali & socio; & ex alia parte Te vituperant in hoc, quòd discrepant in tuam Trinitatem, quæ est Nobilitas tuæ Unitatis.

25. i. Est necessarium, *Domine DEVS*, quòd nos custodias, & salves ab infidelibus, qui ita nos vituperant & injuriant in hoc, quòd putent nos esse tam rudes & tam viles, quòd credamus in tres DEOS.

26. *O Supreme Domine, in quo est omne nostrum bonum & nostra restauratio!* Si ordinare, quomodo infideles venirent ad cognitionem nostræ fidei, & scirent quomodo credamus & intelligamus tuam sanctam Trinitatem, faceres illis & nobis magnam misericordiam; quia non ita contemnerent nos, sicut contemnunt, & possent inde venire ad Veritatem.

27. *O Rex cælorum, Domine Dominorum!* Tibi sit laus & benedictio & servitium; qui dedisti gratiam tuo servo in hoc, quòd ipsum posueris in vera fide,

in

in qua credit & affirmat tuam Unitatem esse in Trinitate, & tuam Trinitatem esse in Unitate.

28. k. *Domine Gratiose, amorose, humilis, & dulcis!* Quis posset æstimare gratiam & magnam felicitatem, quæ est in hominibus, qui in hoc mundo sunt credentes in tuam Unitatem & Trinitatem, qui Te amant & laudant & Tibi servant, & moriuntur pro amore tuæ Unitatis, & Trinitatis? Non est homo, qui posset æstimare illorum magnam beatitudinem.

29. Scias, *Domine DEVS*, quòd, quoniam tam magnum bonum est credere in tuam Unitatem & in tuam Trinitatem, dicam omnibus meis vicinis & omnibus hominibus, quos videbo & quibus obviabo: eamus Domini amare & laudare & confiteri unam Divinam Substantiam in Trinitate, & unam Trinitatem in una Divina Substantia.

30. Adhuc dicam, *Domine*, meæ Animæ & meo corpori: renuntiate omnivane gloriæ & omnibus vanis delectationibus, & eamus attribuere omnem Honorem

108 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
norem & omnem Laudem & omnem
Virtutem & omnem Bonitatem illi, qui
est tres Personæ Divinæ, & Unus in tri-
bus Personis Divinis.

CAPVT XIII.

*QUOMODO DIVINA TRINITAS
sit Vnum in Essentia, quamvis in DEO
dicantur multa.*

1. **O** *DEVS potens, sapiens, honorate!*

a. **O** Benedictus sis; quia, quamvis sis
Potestas, tamen tua Substantia non est
in quaternitate; quoniam quælibet Per-
sonarum est Potestas.

2. *O gloriose Domine, metuende!* Quã-
vis homo sit potens, tamen humanum
esse nō dividitur in quatuor res ita, quòd
sit corpus & anima & Spiritus & potes-
tas, imò consistit in tribus; quia conjun-
ctio trium rerum est in eo unum *esse* hu-
manum potens.

3. Igitur, *Domine honorate*, quando
nos amamus & laudamus & timemus tu-
am

am Divinam Potestatem, intendimus amare & laudare & timere tuas tres Personas in una Substantia Divina omnipotente.

4. b. *O vere DEVS, & vere Homo, Perfecte in omnibus Nobilitatibus!* Verum est, quòd in Te sit omnis Scientia; & quamvis scias omnia, tamen tua Divina Substantia non est in quatuor Personis, quia tres Personæ sunt una Substantia sciens omnia.

5. De homine, *Domine*, sequitur hoc idem; quia, quamvis sit sciens, tamen non est ejus Substantia in quaternitate, sed in trinitate; nam suum corpus & sua anima & suus spiritus sunt una substantia humana sciens.

6. Unde secundùm hoc, *Domine*, quotiescunque nos laudamus & honoramus tuam Scientiam, toties intendimus facere honorem tuæ Trinitati & tuæ Unitati.

7. c. *O Domine sancte, gloriose!* Reverentia & Honor fiat Tibi; quia in Te est Voluntas, & omne id est in tuo Velle, quod Tibi placet; & quamvis sis volens, tamen

tamen tua Divina Substantia non est in quaternitate Personarum; quoniam tres Personæ sunt una Divina Substantia volens omne, quod convenit esse volitum ab ipsa.

8. *Vnde Dominium & Honor cognoscatur in Te, Domine DEVS*; quia nostra confidentia & spes est in tua benedicta Voluntate cum intentione & credentia, quòd tua Substantia sit una Substantia, quæ est volens in tribus Personis.

9. *Domine amate, culte & benedicte!* Magna est tua Nobilitas & tua Virtus; nam, quia es una Divina Substantia, in qua intelliguntur esse multæ virtutes, propterea convenit, quòd Tibi faciamus multos honores & reverentias, adorando unam Deitatem tantum.

10. d. *Excellens Rex, plene Misericordiâ!* Tu es Veritas; & quamvis sis Veritas, tamen non sequitur, quòd tua substantia sit in quatuor Personis; nam quælibet trium Personarum, quæ sunt una Divina Substantia, est Veritas Divina.

11. Unde, cum tres Personæ sint una Divina Veritas, quotiescunque, *Domine,*

ama-

amamus & honoramus tuam Veritatem, intendimus amare & honorare tuam Divinam Substantiam in Trinitate Personarum.

12. *O Domine vere, DEVS gloriose!* Sicut est conveniens, quòd tua benedicta Unitas ametur & laudetur & illi serviatur, quia est in Trinitate, & non ultra; sic, *Domine*, unitas tui servi & tui subditi debet contemni & vilipendi ratione suorum multorum gravium peccatorum, quæ sunt in ea unita per hoc, quòd sint in ipsa.

13. e. *O Liber Domine, quem decet amor & honor & timor & servitium!* Quamvis omnis Amor sit in Te, tamen tua Substantia non est divisa in quaternitatem Personarum; quia tres Personæ, quæ sunt una Divina Substantia, sunt omnes Amor.

14. *Vnde benedictus sit tuus Amor, Domine;* quia, quoties cogitamus & memoramus ipsum, intendimus cogitare & memorare tuam Substantiam & tuam Trinitatem Personarum.

15. *O vere DEVS & vere Domine!* Tu lauderis; nam sicut es Unus in Essentia,

&c

& possunt dici multæ Virtutes esse in Te, sic tuus servus est unus in essentia, & de eo possunt dici multæ res, & multa peccata.

16. f. *Humilis Domine, Salvator noster & Gloria nostra!* In Te est omnis Justitia & omnis Æquitas; & quamvis sis Æquitas, tamen tua Substantia non est in quatuor Personis; nam quælibet trium Personarum est Justitia & Æquitas in hoc, quòd sint omnes una Divina Substantia tota justa & æqua.

17. *Vnde benedieta sit tua Justitia, Domine;* nam, quoties nos habemus pavorem & timorem de tua magna Justitia, habemus pavorem & timorem de tua Substantia & de tribus Personis, quæ sunt in Te una Justitia.

18. *Cùm Tu, Domine DEVS,* sis unus in Essentia, & sint in Te multæ Virtutes magnæ Nobilitatis & magnæ Sanctitatis, quomodo potest esse istud infortunium tui servi, qui tanto tempore oblitus fuit tuarum Virtutum, & putavit, quòd illæ res in ipso essent virtutes, quæ erant vitia & peccata?

19. g. *Amorose Domine, perfecte in omnibus Virtutibus!* Tu es totus Gloriosus; & quamvis in Te sit Gloria, tamen non est in Te quaternitas Personarum; nam tres Personæ, quæ sunt tua Divina Essentia, sunt Gloria.

20. *Placens Domine, honorate!* Benedictus sis Tu; nam, quamvis nos speremus tuam Gloriam & desideremus eam, tamen non desideramus, nisi unam Essentiam Divinam, unam Trinitatem Divinam.

21. *Vnde Laudes & Honorationes & Nobilitates cognoscantur in Te, Domine;* nam omnes qualitates, quas Tibi attribuimus, intelliguntur esse Virtutes secundum Veritatem, quæ sunt tam nobiles & tam perfectæ, quòd per eas intelligatur in Te nullum defectum & nullam indigentiam esse.

22. h. *Sapiens Domine, DEVS patiens!* Quamvis in Te sit Misericordia, tamen non es in quatuor Personis; nam tres Personæ, quæ sunt tua Essentia, sunt omnes Misericordia.

23. Et propterea, *Domine*, quando

H

con-

114 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
confidimus & speramus in tua Misericordia, intendimus confidere & sperare in una Divina Substantia solùm, & in una Divina Trinitate.

24. *O Domine plene Misericordiâ!*
Gloria & Virtus & Bonitas cognoscatur Tibi, quia fecisti tantam gratiam tuo servo, quòd eum feceris cognoscere per multitudinem Virtutum, quæ sunt in Te, non multiplicari tuam Substantiam in tribus Personis, nec tres Personas in Substantiis.

25. i. *O Domine mirabilis, qui custodis & salvas omne id, quod Tibi placet!* Quoties amamus & honoramus & adoramus tuam Trinitatem & ei servimus, toties adoramus & amamus & servimus uni DEO tantùm in una Unitate.

26. Unde benedictus sis, *Domine*; nam, quoties laudamus tuam Unitatem in Unitate; toties amamus & honoramus tuam Trinitatem & ei servimus.

27. Et hoc idem facimus, *Domine*, quando amamus & laudamus & memoramus & cogitamus in tuis Virtutibus, quia tunc servimus & amamus & lauda-

mus

mus & confitemur tuam Unitatem & tuam Trinitatem.

28. k. *Chare Domine, sancte & gloriose, verax in omni tempore!* Tuæ Virtutes, in quantum es una Substantia, sunt omnes una res, non multæ; sed sunt multæ, in quantum tua Potestas facit & ordinat multa in nobis.

29. Nam, sicut pretium magnarum margaritarum crescit & ascendit in margaritis, quò plures sunt insimul; sic est de tuis Operibus, quæ, quò plura sunt in Te, eò meliora se monstrant nobis.

30. *O Domine pie, plene Gratiâ!* Sicut tuæ Virtutes Te monstrant nobis eò magis bonum, quò plures earum intelligimus; sic, quò plura fuerunt mea opera, eò magis monstraverunt me esse abjectum & vilem & peccatorem. Veruntamen, *Domine*, quamvis sim tam vilis, tamen non desinas me adjuvare ad perficiendum alias distinctiones; sed adjuva me, sicut adjuvisti me in ista; nam omne aliud adiutorium est vanum, præter illud, quòd venit de Te, qui es noster Dominus DEUS.

DISTINCTIO VI.

DE POTESTATE DIVINA.

CAPUT XIV.

QUOMODO DEVS SIT POTENS in Essentia.

1. **D**EVUS, Domine Glorioso, amoroſe,
a. **D** plene dulcedine, Principiator no-
ſter! Si tua magna Potestas, Domine, ſit
æterna, non eſt mirum; quia proprium
eſt ei eſſe æternam.

2. *Perfekte Domine, plene omni Vir-
tute!* Tua Potestas eſt tam alta & nobi-
lis, quòd de ſua Natura ſit eſſe ſinè fine;
nam, ſicut eſt de ſua Natura eſſe ſinè
principio, ſic eſt de ſua Natura eſſe ſinè
omni fine.

3. *O Domine ſancte & glorioſe!* Be-
nedictus ſis; quia tua Potestas eſt tam
magna, quòd mirabile ſit imaginari eam;
quoniam noſter intellectus in ea non
potest intelligere principium nec finem,
imò

imò est totus pressus & captus sub ea.

4. b. *Benedicte Rex, Confortatio & Spes peccatorum!* Non est mirum, si tua Potestas sit magna, quia ipsa habet Naturam & proprietatem essendi infinita sine ullo termino, & comprehendendi omnes alias potestates.

5. *Beatus est, Domine,* homo, qui istam tuam honoratam Potestatem memorat & laudat & amat & imaginatur; & beati sunt illi, qui super omnes alias potestates illam timent.

6. *O Liber Domine!* Quàm infelix est ille, qui potestates hominum magis habet in memoria, quàm tuam, & qui in suo corde majorem reverentiam & amorem habuit erga potestatem finitam modici valoris, quàm erga tuam, quæ est sine fine honorata super omnes potestates.

7. c. Tuæ excellenti Potestati demus, *Domine DEVS*, omnem laudem & omnem gloriam; quia est tantæ Virtutis & Nobilitatis, quòd non habeat in se principium, nec medium, nec finem, sicut nostra modica potestas, quæ stat inter prin-

principium & finem, & habet medium ratione suæ modicæ paucitatis.

8. Tua honorata Potestas; *Domine*, non est sicut nostra; nam tua non est major nec minor in uno tempore, quàm in alio, sed est firmiter manens sinè omni incremento vel decremento.

9. *Cælestis Domine, plene omni Bonitate!* Quid mirum est, si tua magna Potestas sit sinè incremento & decremento? nam, antequam tempus esset in *esse*, ipsa jam erat perfecta & infinita; & quando tempus non erit, adhuc erit tanta, quanta nunc est.

10. d. Estne aliquis potens æstimare, *Domine*, quàm magna sit tua potestas? verè omnes res creatæ & creabiles non possent pertingere ad cognoscendum Magnitudinem ipsius: unde laudata & benedicta sit talis Potestas, quia non est sicut nostra; quoniam nostra non stat firma, quia in nobis modò est in potentia, modò in actu; sed in Te, *Domine*, infinitè stat firma tua Potestas; quia in Te non transit de potentia in actum, nec de actu in potentiam.

11. *Domine, cui sit laus, amor, cultus, & servitium!* Nos sumus res fragiles, captivæ & miseræ: quare accidit, quòd quandoque habeamus nostram potestatem in potentia, quandoque in actu; & tota hæc miseria & captivitas accidit nobis, quia sumus res habentes principium, & sumus in tempore: unde, cum Tu, *Domine*, sis tam nobilis & tam bonus, quòd non habeas principium, ideo tua Potestas est infinitè firma & fortis in sua Nobilitate.

12. Bene Tibi dico, *Domine DEVS*, quòd possit teneri pro satis fatuo & infelici ille, qui confidit in ulla alia potestate, nisi in tua; quia omnis alia potestas est vana & nihil: quare igitur, *Domine*, amatur & laudatur alia potestas, præter tuam?

13. c. Tua Potestas, *Domine DEVS*, est vera Potestas, & Potestas, quæ est laudanda & timenda; quia ipsa est à Te & in Te, & non est in Te per ullam aliam rem extra Te, sed est in Te à Te tantum; quare nunquam erit extra Te.

14. Quid est, *Domine*, per quod tua Potest-

Potestas posset venire in Te? nam Tu es, qui per creationem dedisti *esse* omni, in quo est potestas; & omne, quod devenit in *esse*, caret tali potestate, qualis est tua, quia omnis alia potestas habet finitatem & principium.

15. Tali potestati, qualis est tua, *Domine DEVS*, debet homo dare honorem & laudem & gloriam & honorificentiam, quia ipsa non est, sicut potestas Regum; nam ipsi nullam habent potestatem per se ipsos, sed sua major potestas est extra ipsos, scilicet in suis subditis, & sua minor potestas est in se ipsis, scilicet in sua persona; sed tua Potestas tota est in Te: adhuc, *Domine*, debemus laudare Te, quia non es ita vanigloriosus de tua Potestate, sicut Reges sunt de sua.

16. f. *Verax Domine, Benefactor de bonis temporalibus & de bonis spiritualibus!* Si tua Potestas est perfecta, talis est, quia es una Unitas Divina, in qua non est ulla res contrarians nec discordans nec impediens.

17. Quare enim tua Potestas, *Domine*, non erit completa & perfecta, cum
nulla

nulla Virtus nec ulla Nobilitas nec ulla Gloria nec ulla Bonitas deficiat in ea; sed omne id, quod potest esse bonum & nobile, sit in ipsa?

18. Igitur, *Domine*, qualis potestas est potestas, nisi tua? & quis potest, nisi Tu? nam nihil est in tua Essentia habens defectum in se; & omne id, in quo est defectus, est extra tuam Essentiam ita, quòd non sit in Te.

19. g. Valde magna res est, *Domine*, de hac tua magna Potestate, quæ est tam magna, quòd non possit finiri, nec minui, ita est infinite magna & nobilis: benedictus sis, quia habes tantam Potestatem, quòd nulla res sit in *esse*, quæ possit ipsi dare finem.

20. Tibi, *Domine DEVS*, cognoscat-
tur omnis Nobilitas & omnis Gloria, & confiteatur, quòd non sit alia Potestas, nisi tua.

21. Nam tua Potestas, *Domine*, transcendit omnes potestates, & nulla potestas est, quæ possit ascendere ad tuam Potestatem, & eam attingere, nec ulla potestas potest se defendere ab ipsa.

Quò

22. h. Quò magis, *Domine*, homo loqueretur de tua Potestate, & quò magis illam contemplaretur, eò majorem Nobilitatem & Dignitatem in ea perciperet: unde benedicta sit ipsa, quæ est tam firma, quòd non mutetur in aliam, nec alteretur per aliam, sed stat sinè omni mutatione & sinè omni alteratione infinite in sua puritate Virtutis & Bonitatis.

23. Quomodo posset fieri, *Domine DEVS*, quòd tua Potestas alteraretur? nam non est alia *Æternitas*, nisi tua, nec alia *Infinitas*, nec alia *Deitas*, nisi tua: unde igitur veniret, quòd tua Potestas mutaretur in suo statu?

24. *O Domine honorate, humilis, mirabilis!* Tua magna Potestas ametur & timeatur & laudetur ab omnibus gentibus per omnes partes terræ; & hoc, quia ipsa est ante omnia, & comprehendit sub se omnia, & omnia tempora sunt terminata & conclusa ab ipsa.

25. i. *O Divine Domine, Consolatio & Spes nostra!* Tua Potestas sola est sinè pari & socio & sinè ulla contrarietate; & hoc est ratione virtutum & dignitatum, quæ sunt

sunt privatæ in creaturis, & sunt perfectæ in tua Potestate.

26. *Iste Domine, Pater orphanorum & Consolator afflictorum!* Quid erit de me? audebone, *Domine*, esse tam animosus, quòd audeam contemplari in Te ante tuum benedictum Altare? nam ego sum ille fatuus & falsus, qui multis diebus comparavi tuam Potestatem rebus parvæ potestatis & magnæ vilitatis, & habebam fidem & spem, quòd illæ me possent adjuvare, & mihi succurrere in illis rebus, in quibus non potest adjuvare nec succurrere ulla alia res, nisi Tu.

27. *O curialis Domine, sapiens, Salvatio & Salus nostra!* Si omnes isti defectus sint in me, non est mirum; quia homo, qui non erat amator nec inamorus de tua magna Potestate, non est mirum, si erat errans in suis operibus, & si faciebat stultitias.

28. k. *O sancta Vnitas, Divina & sancta Trinitas!* Tua Potestas tam fortiter est una in tua Essentia, quòd ubicunque est tua Potestas, ibi sit tua Essentia, & ubicunque est tua Essentia, ibi sit tua Po-

29. *O Beate Domine!* Quia omnis nostra potestas est nobis data à tua Potestate; valde rationabile esset, quòd omnem nostram potestatem submitteremus in amando & honorando & laudando tuam benedictam Potestatem, & in aliam rem non applicaremus nostram Potestatem, nisi in Te.

30. In hoc, *Domine DEVS*, monstratur, quòd tua Potestas sit magna; nam, si sentiamus potestatem in nobis faciendi aliquam rem, quanta debet esse Potestas, quæ est in Te? si enim in tam miseris rebus, sicut nos sumus, est aliquid potestatis, quàm magna erit illa, quæ est in nostro Domino DEO?

CAPUT XV.

QUOMODO DIVINA POTESTAS cogat & constringat cursum natura.

1. **O** *DEVS Pater & Domine!* Amor
a. **O** & Bonitas cognoscatur esse in Te in hoc, quòd nullum esse creatum ha-

beat de sua natura *esse*, quia devenit de *non esse*; imò de sua natura est reversio ad *non esse*, & ad deletionem sui *esse*.

2. Igitur Bonitas & Fortitudo & Potestas sit in Te, *Domine*; quia sustines in *esse* naturam rerum creatarum; nam, sicut homo projiciens lapidem versùs cœlum, facit eum ire fursùm contra suam naturam, quæ est ire deorsùm, sic facis, *Domine*, naturam creaturarum esse in *esse*; sicut enim lapis tendit deorsum per suam naturam, sic, si relinqueres creaturas, omnes reverterentur in *non esse* per suam naturam,

3. Igitur, *Domine*, nos omnes amemus & adoremus tuam magnam Potestatem, quæ tenet nos in *esse*, & non finit nos reverti ad *non esse*, ad quod reverteremur, nisi ipsa nos sustineret.

4. b. O pie *Domine*, sapiens, plene omni *Gratiâ*! Benedicta sit tua magna Potestas, quæ cogit & constringit corpora cœlestia in hoc, quòd, si signum vel planeta per naturam deberet dare calorem, tua magna Potestas ipsa constringat, & cogat ad dandum frigus; & hoc facis, ut

fatis-

126 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.
satisfacias gentibus, secundum quod
merentur.

5. Unde mirabiliter bene hoc ordi-
navit, *Domine*, tua honorata Potestas;
nam, quia non omnia opera hominum
fiunt per cursum naturalem ratione li-
beræ voluntatis, quæ est in eis; prop-
terea, quando opera hominum fiunt
præter cursum naturalem, Tu præmias
nostrum corpus rebus, quæ fiunt præter
cursum naturæ.

6. *Valor & Virtus tue magnæ Potes-
tatis, Domine, sit in nostra memoria & in
nostra cogitatione*; Quoniam illa cogit,
quando vult, firmamentum & ejus cor-
pora; & æqualiter & justè satisfacit no-
bis, sive per, sive extra cursum naturæ.

7. c. Invocemus tuam sanctam Potes-
tatem, *Domine DEVS*, & obediamus ipsi;
quia facit elementa intrare in composi-
tionem, quando vult, & in quodcun-
que corpus vult, & facit illa discompo-
ni, quotiescunque vult.

8. Tua Potestas, *Domine*, est adeò
magna, quòd, quando elementa secun-
dum cursum naturæ sunt disposita ad
com-

componendum aliquod corpus, quando vult, cogat & constringat illa in hoc, quòd non sinat ea intrare in compositionem; & hoc idem facit, quando elementa non sunt disposita ad componendum aliquod corpus, & facit illa intrare in compositionem, quotiescunque velit.

9. Cùm tua Potestas, *Domine*, sit tam nobilis & tam alta, est rationabile, quòd eam adoremus & invocemus; nam ipsa facit de natura omne id, quod vult, ita, & adhuc multò meliùs, sicut Faber lignarius de ligno facit quamcunque formam vult, & dolat ipsum ex quacunque parte vult.

10. d. *O Domine DEVS, prime & durans in omnibus Sæculis!* Opus nobis est, quòd tuam Potestatem confiteamur & honoremus; quia non est in hoc mundo ulla res generans, quam tua Potestas, si velit, non faciat esse corrumpentem; nec est ulla res corrumpens, quam ipsa, si velit, non faciat esse generantem.

11. Multis modis, *Domine DEVS*, monstratur nobis, tuam Potestatem esse mag-

magnam; nam facit multos homines vivere præter cursum naturæ in hoc, quòd, secundùm quod comedunt vel bibunt vel laborant vel sunt induti, non deberent vivere per naturam; & Tu, *Domine*, facis eos vivere & esse sanos & fortes & deliciosos: & multi sunt vulnerati & infirmi, & secundùm cursum naturalem non viverent, & tua Potestas cogit in eis naturam, & facit eos vivere.

12. *O Domine amoroſe, benigne, fortis ſuper omnes fortitudines!* Altitudo & Majoritas cognoſcatur tuæ magnæ Potestati, quia facit de vita hominis omne id, quod vult, in hoc, quòd multi homines secundùm suam nativitatem per cursum naturalem viverent centum annis vel pluribus, & Tu facis eos mori in ætate annorum viginti vel pauciorum; & multi homines secundùm cursum naturæ non viverent ultra viginti annos, & facis eos vivere centum annis vel pluribus.

13. e. Ubi est, *Domine DEVS*, Dominium & Fortitudo, nisi in tua Potestate? & quis est, præter Te, qui possit cogere

gere naturam ad dandum pluvias tunc, quando non est præparata? & quis prohibet naturæ, ne pluat, nisi tua Potestas, quæ illi prohibet pluere tunc, quando ipsa daret pluviam, nisi ei esset prohibitum?

14. *O Sancte Domine sinè pari & equali!* Valde debet amari hæc tua tam magna Potestas; nam quis est præter eam, qui prohibeat ventos & tonitrua & fulgura, quando per naturam deberent evenire? & quis est præter tuam Potestatem, qui constringat naturam, ut faciat ventos & tonitrua & fulgura, quando non habet in potestate facere illa?

15. *O gloriose Domine!* Bene tranquillissimi & simplices debemus stare sub tua magna Potestate; nam quando aër est corruptus per naturam, & deberet esse mortalitas hominum, si vis, das sanitatem; & quando aër est purus & sanus, & habet naturam dandi sanitatem hominibus, si vis, das febres & infirmitates & mortalitates.

16. f. *Domine DEVS!* Totaliter malè instructi debent æstimari multi homines,
I qui

qui sunt in hoc mundo dicentes, quòd, quidquid homo faciat aut dicat, & status vitæ, in quo sit, & vita & mors ejus, omnia fiant & eveniant secundùm cursum naturæ, & secundùm signa & planetas & puncta & horas, quæ veniunt secundùm fatum, & astrum, vel prædestinationem; quàm malè instructi & orbati suo sensu sunt, *Domine*, quòd ignorent & non cognoscant tuam magnam Potestatem, quæ facit de omnibus rebus, quidquid vult & quandocunque vult.

17. Si ita esset, *Domine*, quòd nunquam extraheres naturam de suo cursu, nec cogeres eam, tunc posset fieri, quòd homo confideret in cursu naturæ; nam postquam natura non esset coacta, verum est, quòd haberet potestatem in homine, secundùm quod nascitur, & secundùm signum vel planetam vel punctum vel horam, in qua nascitur; & deberet esse per naturam timidus vel audax vel eques vel mercator vel de aliquo alio officio, vel deberet vivere sanus vel infirmus, vel deberet vivere multùm vel parùm, vel deberet esse pauper vel dives.

Sed,

18. Sed, quid prodest, *Domine*, Astro-
nomo, vel illi, qui confidit in cursu na-
turæ? nam tua Potestas vincit & cogit
naturam ita, sicut, si Artifex, quando fe-
cit molendinum, dum moleret, taliter
perturbaret ipsum, quòd non moleret;
ita similiter facis, *Domine*, de natura,
qui, quando vis, eam cogis, & quando
non vis, non: igitur, quando cogis natu-
ram, illi, qui confidunt in cursu ipsius,
comperiunt se deceptos, cùm non inve-
niant in ea id, quod sperant.

19. g. De tua magna Sapientia est, *Do-
mine DEVS*, & de tua magna Potestate
& Ordinatione, quòd aliquoties finas ire
naturam secundùm suum cursum, & ali-
quoties eam constringas contra suum
cursum; nam, sicut rota molendini se cir-
cumvertit, ut faciat circumvolvi molen-
dinum; sic tua Sententia vadit circa
opera, quæ nos facimus, in cogendo vel
non cogendo naturam.

20. Et convenit, quòd hoc ita sit se-
cundùm tuam benedictam Ordinatio-
nem; nam nos quandoque procedimus
in nostris factis secundùm naturalem

132 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cursum, quandoque secundum liberam
voluntatem.

21. Propterea, *Domine*, tunc, quan-
do operamur secundum cursum naturæ,
remunerat nos secundum cursum natu-
ræ; & quando operamur contra cursum
naturæ, tua Potestas constringit natu-
ram, & nos remunerat secundum con-
strictionem naturæ.

22. h. *Valens Domine, plene omni Do-*
ctrinâ! Valde magnus est error homi-
num confidentium in Astronomia, qui
naturæ attribuunt omnem potestatem,
& nihil reservant Tibi, quia non credunt
Te cogere & constringere cursum ipsius.

23. Nam, dum ipsi expectant, *Do-*
mine, quòd natura operetur secundum
quod monstrat, sperant, quòd natura
compleat eis suum desiderium in re,
quam sperant; & sic, expectando horas
& puncta, ignorant, an tua Potestas co-
get naturam, vel an ipsam permittet
operari secundum suum cursum.

24. Et, quando contingit, *Domine*
DEVS, quòd illi errent, & res non eve-
niant, sicut natura eis demonstrabat, at-
tribu-

tribuunt sibi ipsis defectum scientiæ, & dicunt : quòd natura non erraverit , sed ipsi erraverint in arte ; & non cavent sibi à deceptione , quam accipiunt in hoc , quòd natura deficiat ad complendum id , quod eis demonstrabat ratione tuæ Potestatis , quæ eam cogit & deviat à suo cursu.

25. i. *O Domine , in quo est Libertas & Justitia !* Certè magna est Fortitudo & Potestas , quæ est in Te in hoc , quòd omnia sint coacta & constricta per tuam Potestatem , & tua Potestas faciat in omnibus quidquid placet tuæ Voluntati.

26. Magnum bonum est nobis , *Domine DEVS* , quòd tua Potestas sit tam magna ; nam dæmon est tam potens in faciendo malum , quòd , si non esset tua Potestas , quæ constringit & refrænât ipsum , ne faciat malum , totum mundum destrueret in una hora vel in minori tempore.

27. Laudata & adorata & benedicta sit , *Domine DEVS* , tua sancta Potestas , quæ non permittit diabolo facere nobis malum , nisi in quantum ei damus potestatem,

134 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
statem, & in quantum meremur, quòd
nos tormentet.

28. k. *Amabilis Domine, amoroſe &
affabilis!* Tua Potestas honoretur & ti-
meatur; nam ſicut ipſa cogit, & con-
ſtringit malitiam & iniquitatem dæmo-
nis, ſic vincit & cogit malitiam & ini-
quitate[m] hominum peccatorum pleno-
rum omni malignitate.

29. *Domine DEVS!* Malitia pecca-
torum eſt ſimilis grano ſinapis, quod eò
magis multiplicatur in calore, quo ma-
gis atteritur; nam quò magis peccator
ingratus eſt tuæ Bonitati, eò magis tua
Potestas conſtringit & tormentat ejus
malitiam & iniquitate[m].

30. Laus & Gloria & Honor & Gra-
tiarum actiones ſint tuæ magnæ Potestati,
Domine DEVS; nam tuus ſervus teſtatur
& confitetur, quòd tua Potestas vincat &
cogat ſuam iniquitate[m] & ſuam mali-
tiam in hoc, quòd non ſit tanta, quan-
ta eſſet, ſi eam non refrænaret tua ſan-
cta Potestas Divina.

CAPVT XVI.

*QUOMODO DEVS HABEAT PO-
testatem resuscitandi mortuos.*

1. **O** *Domine DEVS!* In quonam est
a. **O** Potestas & Fortitudo, nisi in Te?
& cui potestati debet fieri Reverentia &
Honor, nisi tuæ? nam ipsa est tam mag-
na, quòd, quamprimùm completus erit
numerus hominum, qui debent ire in
Gloriam, resuscitabit corpora ipsorum,
quæ erunt dispersa per terras in pul-
verem.

2. *O Pater & Domine, cui omnia sunt
subdita!* Virtus & Bonitas attribuatur
Tibi ratione tuæ magnæ Potestatis; &
si sit ullus stupidus & fatuus homo, qui
miretur, quomodo ipsa sit tam magna,
benè potest nescius æstimari; nam, si na-
tura dispergit corpus hominis in pulve-
rem & atomos per terras & per aërem,
quando corpus est corruptum, bene vi-
detur verum, quòd Potestas Creatoris,
qui creavit naturam, possit conjungere
illas

illas atomos, & inde facere humanum corpus in die Judicii.

3. Ratio, quare non miror de tua Potestate, *Domine*, quòd in die Judicii possit conjungere atomos & resuscitare corpora hominum, est, quia, quando confidero, quòd ego, qui sum tam miser & tam fragilis respectu Tuî, habeam potestatem conjungendi unum lapidem cum alio, & faciendi unum acervum, bene mihi videtur verum, quòd possis conjungere unam atomum cum alia, & facere unum humanum corpus ex ipsis.

4. b. *O Domine DEVS, qui beatificas beatos in Gloria!* Omnes benedicamus tuam benedictam Potestatem, quæ est tam magna, quòd poterit renovare nostra corpora in die Judicii, & dabit eis omne complementum formæ & membrorum, ita, quòd nihil eis deficiet.

5. Valde nobilis & alta est tua Potestas, *Domine*: sanctificata & amata sit ipsa; nam in die Judicii potestas, quam natura nunc habet, tota cessabit & tota peribit in hoc, quòd non poterit generare nec corrumpere, nec dare delecta-

tio-

tionem nec pœnam ; sed , quidquid fiet in die Judicii , fiet per tuam Divinam Potestatem.

6. Tua Potestas , *Domine DEVS* , est , quæ justos homines liberabit ab angustiis & à doloribus in die Judicii , & dabit peccatoribus tribulationes & angustias sinè fine.

7. c. Non est , qui posset æstimare magnam Virtutem & Nobilitatem , *Domine* , quæ est in tua Potestate ; nam ipsa conjunget in die Judicii corpora hominum cum animabus , & non est mirum si tua Potestas tunc poterit conjungere animas & corpora ; quia toties videmus , quòd in utero mulierum jungas animam cum corpore , quando eam creas & ponis in corpore infantuli.

8. Omnes confiteamur , *Domine* , tuam Potestatem esse magnam & mirabilem in hoc , quòd ipsa dabit hominibus in die Judicii intelligentiam & cognitionem , per quam cognoscent se invicem , & alii scient opera aliorum.

9. Nemo putet , *Domine* , quòd cognitio , quam homines habebunt in die
Judi-

Judicii, & memoria, quam habebunt de operibus, quæ fecerint in hoc mundo, veniat per naturalem potestatem & per cursum naturæ, quia veniet totaliter à tua sancta Potestate; nam, sicut potestas naturæ modo deficit in isto mundo in hoc, quòd per eam non possimus veraciter habere cognitionem nec certificationem de omnibus rebus, quæ nobis sunt præsentibus; sic non erit mirum si ipsa tunc deficiat, taliter, quòd nullam cognitionem habeamus per eam.

10. d. *Pater Domine!* Certè fatuus est, qui obliviscitur Tuû; nam tua Potestas reddet in die Judicii justis hominibus amorem, quem habebant erga Te in hoc sæculo tunc, quando pro honore & amore Tuû moriebantur: benedicta sit, *Domine*, talis Potestas, qualis est tua, quia amor, quem nobis reddes, erit integer, taliter, quòd ei nihil deficiet; & adhuc multò majorem habebimus ipsum in amando & benedicendo Te, quàm modò habeamus.

11. *Omnis homo, Domine, debet ha-*

habere magnum timorē de tua Potestate ; quia in die Judicii reddet injustis suos falsos amores & suas malitias , postquam sint mortui in errore & in malitia ; & hoc faciet , ut in illa malitia & errore tormententur gravibus doloribus.

12. *O Juste Domine!* Benedictus sis Tu , & benedicta sit tua Potestas ; quia ipsa reddet unicuique , secundū quod fecerit , sive sit justus , sive sit peccator.

13. *e. Sancte Domine , Salvator noster !* Magnitudo & Infinitas cognoscatur tuæ Potestati ; nam , si ipsa me derelinquat & me sinat ire secundū cursum meæ naturæ , ita , quòd eam non constringat , scio pro certo eam esse talem , quòd projiciet meum corpus in terram , & meam animam in infernum.

14. *Igitur , gratiose , amorose Domine ,* placeat Tibi me non derelinquere , nec me committere meæ naturæ , sed eam cogere & constringere ; nam , si hoc non facias , sum propinquus morti ; & placeat Tibi prolongare meos dies , ut mihi sufficiat tempus ad faciendum bona opera , per quæ possim ire ad moriendum pro tuo amore.

Tuus

140 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

15. Tuus servus, *Domine DEVS*, Te adorat & supplicat, & confidit in Te, confitendo & dicendo, quòd omne malum, quòd mihi potest contingere per fragilitatem & miseriam meæ naturæ, possit à me tollere & avertere tua benedicta Potestas, quoties Tibi placeat.

16. f. *O Domine DEVS, qui es Pater & Principium nostrum!* Dominium & Doctrina & Curialitas cognoscatur tuæ magnæ Potestati; nam, si homo considerans & confidens in ea, se affecuret in ipsa, parùm appretiabit & planget ullam prosperitatem hujus mundi, nec suum exitum ex hoc mundo; quia bene sciet, quòd tua Potestas sit talis & tam magna, quòd ipsi possit afferre multò majorem prosperitatem & beatitudinem, quàm sit tota prosperitas & beatitudo hujus mundi.

17. *O Domine!* Quoties feci aliqua, ut meam vitam prolongarem in hoc mundo? unde nunc confiteor Tibi hoc & reprehendo me, quia non amabam vivere, ut Tibi servirem, sed ut hìc viverem: unde rogo Te, *Domine*, ut tua

Potestas constringat meam naturam, & me potiùs faciat mori pro tuo amore, quàm mea vita sit longa in inordinato statu.

18. Si Tu, *Domine*, sis tam humilis & tam misericors, quòd velis exaudire meas preces, ut moriar pro amore Tuì, valde benè scio, quòd in die Judicii, quando surgam de meo tumulto, surgam mundus, & lætus veniam ad audiendum tuam Sententiam, & lætus me præsentabo ante tuam Majestatem vestitam rubris pannis tinctis pretioso sanguine.

19. g. *Domine DEVS, cui nihil est absconditum!* Tu magnificeris & colaris & celebreris, & homo dubitans & negans tuam Potestatem cognoscatur vilis & miser & stultus; nam quis debet dubitare de ipsa, an possit conjungere ossa putrida, & resuscitare mortuos? quia bene videtur verum, quòd, qui potest facere omnia, ista possit facere, si velit.

20. Nullus miretur, *Domine*, si resuscites corpus hominis putridum, comestum & dispersum per aërem vel per pulverem; nam, qui omnia potest, bene

potest facere talia & similia.

21. *Oratio.* Igitur, *Domine*, non est necessarium, quòd homo miretur de tua Potestate, quomodo sit tam magna ; sed necessarium est nobis laudare & magnificare & honorare ipsam, & omnia, quæ tua sunt.

22. *h.* *O Domine Juste, melior alio Domino, Adimpletor bonorum temporalium & Cælestium, quæ promittis!* Cùm tua Potestas sit per omnes terras & per omnia loca, & superet omnia, non decet, quòd tuus servus habeat timorem perdendi ullam rem, quam habeat; quia es tam potens, quòd possis ei reddere omnes suas corporales perfectiones & omnia sua membra.

23. *Oratio.* Et propterea, *Domine*, quia es tam potens, firmamus nos, & confidimus in tua Potestate plùs, quàm in ulla alia.

24. *Oratio.* Nam, *Domine*, si homo in ulla alia potestate confidat & se affecuret, potest decipi ; quoniam, si confidat in fortitudine Civitatis vel Castelli vel sui corporis, decipitur, quia quotidie videmus Civitates capi & Castella destrui, &

cor-

corpora hominum sana vulnerari & infirmari.

25. i. *O Domine DEVS, qui es patiens erga tuos servos & discipulos!* Facile est Tibi me mutare de meis vilibus operibus & de meis vanis desideriis, quotiescunque Tibi placeat; & potes me facere amare Te, & servire Tibi ex omnibus meis viribus.

26. *Tua honorata Potestas, Domine, quæ poterit meum corpus resuscitare in die Judicii, si velit, bene potest nunc meam animam vivificare in amando Te, & in serviendo & obediendo Tibi.*

27. *Veruntamen, quamvis Tibi sit facile resuscitare mortuos, non est parum, Domine, hominem plenum vitiis & peccatis purificare & mundare, & implere virtutibus.*

28. k. *Suavis Domine, sancte & gloriose & laudate & benedicte per omnes linguas hominum!* Quando Philosophi qui affirmaverunt, naturam habere omnem potestatem hujus mundi, in die Judicii videbunt, tuam magnam Potestatem, & videbunt, quòd natura non habebit ullam potestatem.

146 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
potestatem, benè fortiter se videbunt
errasse & deceptos esse in hoc, quòd o-
bliti fuerint, & ignoraverint in hoc mun-
do tuam magnam Potestatem.

29. Dæmones, *Domine*, qui in die
Judicii videbunt tuam magnam Potesta-
tem, & sentient se ipsos constrictos &
oppressos & non habere potestatem fa-
ciendi malum, sicut solebant, valde ex-
perientur se constrictos, quia ex tunc
cessabit omnis Potestas, exceptâ tuâ.

30. Peccatores, *Domine*, qui vide-
bunt tuam magnam Potestatem in die
Judicii, & sentient se captos & con-
strictos sub ipsa, videbunt tunc su-
am potestatem esse fragilem &
miseram, & tuam esse magnam
& mirabilem; & tormenta-
bis eos & manifestabis
verecundias eorum,
quia discognove-
runt tuam bene-
dictam Potes-
tatem Di-
vinam.

*

CA.

CAPUT XVII.

*QUOMODO DEVS SIT POTENS
dare saluationem vel damnationem,
quibuscunque velit.*

1. **D**EVUS complete & perfecte sine omni defectu ! Lauderis & ameris Tu & tua sancta Potestas , quæ potest dare saluationem & damnationem cuicunque velit ; quia tua sancta Potestas & etiam tua Voluntas non est constricta nec comprehensa ab ulla re.
2. Magna & mirabilis est , Domine , tua Potestas ; nam , sicut per tuam liberam Voluntatem creasti creaturas sine coactione & constrictione , sic rationale est , quòd per tuam Voluntatem sine ulla coactione des saluationem vel damnationem cuicunque velis.
3. *Conueniens Domine , liber , plene omnibus viribus !* Tua Potestas & Voluntas tam fortiter conueniunt & concordant in natura , quòd non sit contrarietas inter unam & alteram , nam omne id,
K quod

quod tua Voluntas vult, potest tua Potestas, & omne id, quod tua Potestas potest, vult tua Voluntas: unde benedicta sit talis Potestas, quia non est sicut nostra, qui, quod possumus non volumus, & quod volumus, non possumus.

4. b. *O Domine, qui es suprema Bonitas, & concludis totum seculum!* Cùm tuam Potestatem multùm laudaviffemus & de ea locuti fuiffemus, quid possemus dicere plus, quàm eam esse Potestatem infinitam? nam, sicut es infinitus, & tua Potestas es Tu, ita necessariò convenit, quòd tua Potestas sit infinita.

5. *Igitur, Domine, quoniam tua Potestas est infinita, omnia potest, & quia omnia potest, potest salvare quemcunque velit; nam, si hoc non posset, sequeretur, quòd esset finita in hoc, quòd non posset salvare, quem vellet.*

6. *Quamvis ego, Domine, ceciderim in peccatum per meam stultitiam & per instigationem demonis, non ideo despero de tua Misericordia, quia, quacunque hora velis, potes salvare me.*

7. c. *Supreme Domine, potens confundere*

dere & ad verecundiam inducere hereticos & ingratos ! Si tua Potestas deficeret ad salvandum, quem vellet, & quos salvat, salvaret ratione prædestinationis eorum, sequeretur, quòd tua Potestas esset subdita ipsi prædestinationi, & hoc est impossibile, quòd aliquid possit esse supra tuam Potestatem.

8. Veruntamen, *Domine*, homines, qui perveniunt ad salvationem, ad quam Tu scis eos esse perventuros, eorum perventio non contrariatur tuæ Potestati; nam Tu vides, quòd illa perventio conveniat cum ordinatione Justitiæ & Misericordiæ.

9. Vnde Magnitudo & Dominium & Altitudo detur, *Domine*, tuæ magnæ Potestati & tuæ benedictæ Voluntati, & nostræ potestati & voluntati cognoscatur defectus & miseria; nam Tu es, qui omnia potes facere pervenire ad id, quod vis, & ad id vis omnia pervenire, ad quod prævidisti esse perventura; sed non est sic de nostra potestate & voluntate, quia non volumus pervenire ad id, ad quod pervenimus, nec possumus pervenire ad id,

148 *B. Raym. Lulli Lib. Contèmpl.*
id, quod volumus, nec scimus, ad quid
perveniemus vel pervenimus.

10. d. *Domine DEVS, qui es Pater &
Sustentator totius mundi!* Nostra Salva-
tio, quam speramus esse venturam no-
bis à tua Pietate & Misericordia, non
est, aliud nisi videre Te, & contemplari
in Te & lætari in Te & amare Te.

11. *Igitur, Domine, quoniam ita est,*
quòd hoc sit nostra Salvatio, quid mi-
rum, si possis salvare quemcunque velis?
nam, quoniam videre Te est Gloria,
quandocunque Te voles ostendere, da-
bis Gloriam illis, quibus Te voles os-
tendere.

12. *O Domine large & liber & Ami-
ce noster!* Cum tua Potestas non deficiat
in dando Salvationem cuicunque vult,
placeat Tibi, quòd tuus servus recipi-
at donum à tua Potestate, quod sit tua
benedicta Gloria.

13. e. *O Domine Creator & Factor omni-
um, que sunt!* Cùm hæc tua magna Po-
testas possit dare Salvationem, cui vult,
rationabile est, quòd laudemus & bene-
dicamus & amemus & timeamus tuam
nobis

nobilem Potestatem, & quòd eam devotè precemur, ut nobis det gratiam, quâ possimus Tibi servire & pervenire ad tuam honoratam Gloriam.

14. Quapropter ego, *Domine*, elevo meas voces & meos oculos & meas manus genuflexus clamando & rogando & supplicando & plorando ad Te, ut Tibi placeat emendare & meliorare omne id, quod destruxi & maleficavi per meam stultitiam; quia potes magis emendare & meliorare in meam salutem, quàm ego potuerim destruere & pervertere.

15. *O Domine!* Quoniam in tua Potestate credo & confido, dicam vivis vocibus & magnâ diligentiam omnibus meis vicinis & omnibus meis amicis & omnibus, quibus obviabo, ut omnes unanimiter demus laudem & gloriam tuæ liberæ Potestati, & reprehendam illos, qui dabunt laudem de potestate, quæ est in Regibus & in se ipsis, quia respectu tuæ omnis potestas est vana & nihil.

16. f. *Cognoscens Domine, qui adjuvas afflictos!* Non est mirum, si tua Potestas possit dare pœnam cui vult; nam si Reges

ges in hoc mundo habeant potestatem tormentandi homines, qui sunt intra suum dominium, bene videtur verum, quòd possis tormentare, quos velis, cum omnes simus tui & sub tua Potestate.

17. *O gloriose Domine, gratiose!* Si Reges habent potestatem tormentandi homines contra justitiam & rationem, quotiescunque velint; quis est ille desperatus & stupidus, qui dicat, Te non posse damnare quos velis faciendo Justitiam? nam multò melius convenit; quòd possis dare poenam faciendo Justitiam, quàm Reges faciendo injuriam; & hoc est, quia Potestas est magis propinqua Justitiæ, quàm injuriæ.

18. Nam potestas, quam Reges habent injuriandi homines, movet eos, *Domine*, ex defectu in hoc, quòd non habeant perfectionem Sapientiæ & Bonitatis; & Potestas, quam habes judicandi justè, venit à perfectione in hoc, quòd non sit in Te defectus Bonitatis nec Sapientiæ.

19. g. *O Domine DEVS, qui deles nostra peccata!* Adoreris & benedicaris Tu

&

& tua sancta Potestas ; quia ipsa & tua Voluntas & tua Justitia omnes sunt una res & una Essentia Divina.

20. *Domine honorate, verax!* Postquam judicaveris peccatorem ad tormenta durabilia infernalibus, quis est, qui possit resistere tuae Sententiae ? & maxime, cum ipsa sit secundum rationem & justitiam, & Tu volueris ita esse ?

21. *Igitur, Domine DEVS, Tibi sit amor & laus & servitium;* quia non est Angelus nec diabolus nec rex nec ullus homo, qui possit resistere tuae Sententiae & tuae Voluntati, tam magna & alta est tua sancta Potestas.

22. h. *Quid est, Domine DEVS, quod Tibi posset resistere, ne posses dare poenam cui velis ?* nam major poena, quam peccatores habebunt in inferno, erit privatio tuae Visionis ; igitur, si hoc eis erit tormentum, bene videtur verum, quod Te possis abscondere in altero saeculo cui velis ; quia modò in hoc mundo Te occultas nostris oculis corporalibus in hoc, quod ipsis Te non videamus.

23. *Tam nobilis & honorata est, Domine*

mine DEVS, tua Potestas, quòd sua dignitas & suus valor ei det posse tormentare quoscunque velit & quibuscunque poenis & doloribus velit.

24. *O iuste Domine!* Cùm conveniat tuæ Potestati & tuæ Justitiæ dare poenam cuicunque velit, & ego sim ita peccator & inobediens Tibi, quale consilium capiam, & quid faciam, & quid erit de me?

25. i. *Domine, Splendor, Lumen & Directio omnium eorum, quos vis!* Magnus est timor, quem debemus habere de tua Potestate in hoc, quòd, quandocunque velis, sis paratus & potens tormentare & damnare peccatores.

26. Cùm, *Domine DEVS*, sim plenus peccato & ingratitude, non est mirum, si timeam Te; imò convenit, quòd valde paveam & timeam Te omnibus diebus & noctibus & horis & punctis & momentis; quia quotidie videmus multos homines esse sanos & lætos, & tuam magnam Potestatem eos superare & facere eos subitanè mori.

27. *O Domine, Major timor, quem ho-*

homo debet habere, est de hoc, unde plus damni advenit ei: igitur convenit, quod tuam Potestatem, quæ potest homini plus facere, quam omnis alia, plus timeamus, quam ullam aliam potestatem; veruntamen, *Domine*, qui hoc dicit, plus timuit alias potestates, quam tuam.

28. k. *Amabilis Domine & Denuntiator gaudiorum Paradisi!* Gloria & Virtus & Benedictio cognoscatur tuæ magnæ Potestati; quia cum ea potes dare gloriam utendo tuâ magnâ Misericordiâ, & cum ea potes dare poenam, utendo tuâ magnâ Justitiâ.

29. *Gloriose Domine!* Laudetur & magnificetur tua Potestas in hoc, quod cum ea respicias peccatores oculis Misericordiæ.

30. *Cognoscens Domine!* Honorata sit tua Potestas, quæ cum Justitia dat poenas infernales peccatoribus, quia fuerunt ingrati erga Te & fuerunt inobedientes & increduli erga suum Creatorem & suum

DEUM.

CA:

CAPUT XVIII.

QUOMODO DEVS SIT POTENS
facere omnia, quoniam habeat
rationem.

1. **O** *DEVS* gloriose, plene Gratiâ! In-
a. **O** voceris & adoreris in hoc, quòd
tua magna Potestas possit creare & fa-
cere quidquid velit, quoniam fit ratio,
quòd debeat creari aut fieri; nam tam
gloriosa & tam mirabilis est, *Domine*,
tua Potestas, quòd super res, quæ non
sunt, sit potens in hoc, quòd ipsis possit
dare *esse*, quando jus & ratio hoc exigit
ad gloriam & honorem tuæ benedictæ
Essentiæ.

2. Excellens Potestas divina se os-
tendit valde magnæ Virtutis & Nobili-
tatis, *Domine*; nam ipsa potest creare
aut facere omnia, quando habeat ratio-
nem; &, si non potest creare nec face-
re aliquid sinè causa vel ratione, prop-
terea non est minor; imò, si Tu, *Domine*,

ne,

ne, posses finè ratione aliquid facere, sequeretur, quòd esses defectuosus in Potestate, quia posses errare.

3. Unde, quando nos intelligimus, *Domine*, quòd tua Potestas non possit facere aliquid finè ratione, intelligimus eam magis perfectam & virtuosam & nobilem & altam; quia non possumus intelligere secundum rationem in tua Potestate defectum Sapientiæ nec Bonitatis nec ullius Virtutis: unde per hoc intelligimus, quòd tua Voluntas non velit aliquid finè ratione, nec tua Potestas aliquid faciat contra rationem; quia omne id, quod vis, potes, & omne id, quod potes, vis.

4. b. *Domine valde amate & valde invocate & desiderate!* Magna est tua Potestas; nam, sicut de corporali materia fecisti montes terreos & lapideos & in eis facis esse herbas & arbores, & habitare animalia, sic, si velles & ratio esset, posses facere montes igneos vel aqueos, & in eis posses facere esse herbas & arbores, & habitare animalia.

5. Etiam, *Domine*, si necesse esset, velles

velles & posses facere de materia formam, & de forma materiam; & si velles, posses nobis demonstrare formam sinè materia, & materiam sinè forma.

6. Nam, sicut potuisti, *Domine*, facere, quòd materia, & forma venirent ex privatione; sic, si velles, posses facere de materia & de forma quidquid velles.

7. c. Quænam potestas, *Domine*, potest comparari cum tua gloriosa Potestate, quæ tam magna est, quòd de spiritali substantia possit facere quidquid velit? nam sicut creasti eam ex nihilo & appropriasti ei non occupare locum in corpore, ita, si velles, posses eam facere substantiam corporalem.

8. Quia non habuisti rationem, *Domine*, faciendi de spiritali substantia materiam corporalem, ideo non voluisti hoc facere; sed, si ibi esset ratio, ita potuisses hoc facere, sicut potuisti eam creare substantiam incorporalem.

9. *Potens Domine!* Valde completa & perfecta est tua Potestas, & nostra est valde misera & fragilis respectu tuæ; nam, quamvis possimus facere aliqua secundum

dum

dum rationem & alia extra rationem, non propterea nostra potestas est major nec virtuosior, imò est minor & vilior & miserior; nam per hoc, quòd habeamus potestatem injuriandi & errandi, minùs possumus esse boni & sapientes & amatores boni; nam posse peccare non est in homine per perfectionem, sed per defectum potestatis.

10. d. *Suavis Domine, sapiens, dulcis, affabilis!* Benedictus sis Tu & tua sancta Potestas; nam sicut potuisti creare hunc mundum, ita, si velles, posses creare tot mundos, quot numerari non possent.

11. Sed, quia Tu, *Domine*, non habuisti causam creandi multos mundos, sicut habuisti causam creandi unum, ideo non voluisti creare, nisi unum.

12. Nam finalis causa, *Domine*, propter quam creasti mundum, fuit, ut timereris & amareris & laudareris & Tibi ferviretur; & hoc non posset ita bene ordinari, si creasses multos mundos, sicut nunc est ordinatum, quando non creasti, nisi unum.

Pla-

13. e. *Placens Domine honorate!* Tu, qui ædificasti & construxisti firmamentum & posuisti mare & terram in medio loco ejusdem, benedictus sis & benedicta sit tua sancta Potestas, quia es tam potens, quòd de duabus diversis naturis creaveris hominem, scilicet de natura corporali & de spirituali; & volueris, quòd hæ duæ naturæ sint unum individuum humanum.

14. *O Domine!* Adoratus & amatus sis Tu; nam sicut potes creare hominem de duabus naturis, ita, si velles, posses ipsum creare de tribus vel de quatuor vel de pluribus.

15. *Gloriose Rex, plene omni Fortitudine!* Tam magna est tua Potestas, quòd, sicut potuisti creare & ordinare, quòd anima rationalis & corpus sint unum esse humanum, sic, *Domine*, si velles & rationem haberes, posses facere unum individuum de homine & pisce & ave & alia bestia, & omnia ista non essent, nisi unum individuum tantum.

16. f. *Domine DEVS, qui resuscitas mortuos & consolaris vivos!* Tibi sit timor

mor & invocatio & obedientia, quia, si potes resuscitare homines mortuos in die Judicii, etiam posses, si velles, resuscitare aves & bestias; & etiam, si velles, posses omnes arbores & herbas renovare in die judicii, quoniam haberes rationem hoc faciendi.

17. Sed, quia non est necessarium animalia irrationalia resuscitari, nec arbores nec herbas renovari in die judicii, ideo, *Domine*, tua Potestas non volet illa resuscitare nec renovare; nam, quoniam in hoc non est causa, etiam non est tua Voluntas.

18. *Excellentia & honorificentia, Domine, detur & cognoscatur tuae liberae Potestati;* quia potest facere omne id, quod Tibi venit in Voluntatem, & omne id, in quo sit causa & ratio, quòd debeat fieri secundum ordinationem tuæ Bonitatis & Sapientiæ.

19. g. *O Domine DEVS!* Duo videntur nobis impossibilia fieri à Te: unum est, quod est contra naturam, alterum, quod est contra rationem. Primum videtur nobis per defectum sapientiæ, qui est

est in nobis, secundum videtur nobis per donum sapientiæ, quod nobis das, per quod Te cognoscimus tam bonum, quòd non possis errare nec aliquid facere contra rationem.

20. Igitur, *Domine*, in posterum non simus tam ignorantes & stulti, quòd nobis videatur impossibile hoc, quod est contra cursum naturæ; quia multò major est in Te Potestas faciendi contra cursum naturæ, quàm sit impossibile secundum cursum naturæ; cum plus possit tua Potestas facere, quàm natura possit ei resistere.

21. Si nos, *Domine*, attribuamus tuæ perfectæ Potestati impossibilitatem dicendo: quòd non possis facere aliquid contra rationem & sinè causa, non est nobis vitium nec tuæ Potestati; quia hoc secundum veritatem non est impossibilitas, sed est perfectio Potestatis & Sapientiæ & Virtutum.

22. *Amorose Domine, habens Pietatem erga illos, qui piè & plorose Te invocant & ad Te attendunt! Valde magnus est error infidelium discredentium, quòd*

quòd Virgo possit parere infantem permanens Virgo; nam ipsi errant, quia judicant secundum naturalem cursum, & obliviscuntur & ignorant tuam Potestatem, quæ vincit & cogit cursum naturæ, quando vult.

23. *Domine DEVS!* Si errantes repugnarent in credendo, quòd Virgo posset parere manens Virgo, & sua repugnantia fundaretur in hoc, quòd partus ille contrarietur tuæ Ordinationi & tuæ Sapientiæ, non esset mirum; sed contrariantur ratione cursûs naturæ, & non respiciunt nec inquirunt, an in hac re habeas rationem & causam cogendi naturam.

24. Idcirco, *Domine*, si ipsi essent sapientes, quandocunque audirent nos dicere & affirmare, quòd aliquid feceris contra cursum naturæ, deberent inquirere & petere rationes, propter quas debeas facere secundum ordinationem tuæ Sapientiæ hoc, quod dicimus, & planè non dubitarent per cursum naturæ, quia ipsam cogis & vincis, quoties velis.

L

Domini--

25. i. *Domine JESU Christe!* Tu lauderis & ameris tanquam verus DEUS & verus Homo; nam magnam injuriam faciunt Tibi infideles nolentes credere, quòd possis esse DEUS & Homo; quia, antequam in hoc dubitarent, deberent inquirere, utrùm sit ratio, quòd debeas esse DEUS & Homo; &, quoniam invenirent rationem, deberent hoc credere, quia es tam potens, quòd hoc possis esse, quoniam velis.

26. Sed antequam illi, *Domine*, perveniant ad intelligendum & credendum, quòd possis facere, quidquid vis contra cursum naturæ, discredunt rem, quæ ipsis videtur impossibilis, quia est contra cursum naturæ, & ideo sunt obcæcati, quia aspiciunt impossibilitatem, quin respiciant tuam perfectam Potestatem.

27. Unde valde mirum est, *Domine*, de hominibus discredentibus; nam, quoniam negant & discredunt esse rem contra cursum naturæ, quare non respiciunt nec perpendunt *esse* mundi, quod est magis impossibile secundum cursum naturæ,

ræ, quàm sit impossibile Te esse DEUM & Hominem simul? nam mundus de privatione devenit in *esse* per tuam Voluntatem, & non per cursum naturæ; & Te esse verum DEUM & Hominem simul, non venit de privatione, quia, priusquam Te incarnares, jam eras in *esse*, & humana natura erat in nostra Domina sancta Maria: igitur, *Domine*, quomodo sunt tam ignari, quòd non perpendant, impossibilitatem esse eò fortiolem & majorem, quò propinquior est privationi, & eò debiliorem, quò remotior est ab ipsa.

28. k. *O Domine, qui exaudis peccatores & parcis eis!* Tu ameris & honoreris & colaris & benedicaris & timearis; nam tua Potestas facit omne id, quod vult, & non est diabolus nec homo nec natura nec aliquid aliud potens resistere tuæ Potestati nec parum nec multum.

29. *O misericors Domine, plene Justitiâ!* Cùm tua Potestas sit tam magna, quòd possit facere omnia, quoniam causam habeat; quid erit de me misero, qui multas causas dedi Tibi ad irascendum mihi

mihi & damnandum me? videtur mihi, *Domine*, quòd omnia consilia mihi deficiant & omnes astutiæ, nisi solùm, quòd confidam in tua magna Pietate & Misericordia.

30. Quia tua Misericordia, *Domine*, est adeò magna, quòd inclinet tuam Voluntatem & Potestatem ad Humilitatem & Pietatem, quando peccator eam invocat & in ea confidit, propterea attendendo ad ipsam, tanquam ad meam matrem & dominam & spem nostrì peccatorum, eam rogo, ut mihi sit adiutorium in perfectione aliarum Distinctionum, sicut mihi fuit mater & amica in perfectione hujus, quæ est perfecta ad honorem tuæ Potestatis divinæ.

DISTINCTIO VII.

DE DIVINA SCIENTIA.

CAPUT XIX.

QUOMODO DEVS SIT SCIENS

in sua Essentia.

1. **D**EVUS alte, supreme, excellens, perfecta, cui sit Benedictio, Honor & Amor, Timor & Servitium! Tam magna & nobilis est tua Scientia, quòd non possit esse major; quia, cum sis infinita Essentia, & scias & cognoscas totum Te ipsum, convenit, quòd tua Scientia sit infinita.

2. *O Domine DEVS!* Si nobis videtur mirabile, quòd tua Scientia sit tam magna, non miror; nam, cum nostra scientia sit finita, miramur de Scientia infinita.

3. *O Domine Dominorum!* Non est ulla scientia, quæ possit pervenire ad tuam

am; nam omnis scientia est finita, præter tuam, quomodo igitur posset fieri, quòd alia scientia ascenderet illuc, ubi est tua infinita? hoc est impossibile.

4. b. *Honorate Domine, DEVS gloriose!* Benedictus sis Tu & tua Scientia, quæ ita magna est; quia est ita æterna, quòd Æternitas & ipsa nunquam fuerint divisæ inter se, sed semper fuerint simul.

5. *Amabilis Domine!* Non est ulla scientia, quæ audeat accedere ad tuam nec comparare se cum ea; nam omnis scientia habet principium & terminum usque ad quem sciat, & non ultra; sed tua non habet principium nec terminum, sed scit infinitè.

6. *Alte Domine beate!* Quidnam est, quod possit tantum scire, quòd transcendat nec attingat ad id, quod tua Scientia pertingit? & quis est, qui possit perpendere & scire Magnitudinem & Nobilitatem, quæ est in Te? nihil est sufficiens ad cognoscendum totam tuam Bonitatem; & propterea, *Domine*, nostra scientia non potest ascendere ad id, ad quod sufficit tua.

7. c. *O Domine DEVS, qui es Rex Regum, & vincis & cogis, quoscunque vis!* Si Rex est lætus & jucundus, quando scit se esse Regem potentem super suum populum ad faciendum quidquid velit, quantam causam dabit Tibi tua Scientia, ut sis lætus?

8. *Nam in hoc, quòd scias Te esse DEUM non corruptibilem nec habere principium & finem nec esse constrictum, & scias Te esse unum Creatorem & unum Dominum; quis posset aestimare magnum bonum, quod Tibi est, scire Te talem?*

9. *O Domine DEVS! Cùm tua sancta Scientia sit tantæ honorificentia & tam magnæ virtutis, quodnam cor posset attingere tuam Bonitatem, & quinam oculi possent eam videre, & quænam aures possent audire laudes, quæ ad Te pertinent?*

10. d. *Dilecte Domine, cui servitur, supra quem nulla res habet actionem nec potestatem, & qui habes actionem & dominium super omnia!* Bene scis, quòd, quando homo justus se scit in bono statu, &
scit

scit se innocentem sinè omni culpa, sit valde lætus, quia se scit tam justum.

11. Igitur, si talis scientia, *Domine*, lætificat hominem justum, quantò magis debes esse gloriosus, qui Te scis ita justum, ita innocentem, ita rectum, quòd nunquam cogitaveris facere nec dicere aliquid, quod sit contra rationem & contra tuam Bonitatem & Sapientiam?

12. *O Domine DEVS!* Si tua benedicta Scientia Tibi sit Gloria & Honor, non est ita de mea, quia scio me ingratum & inobedientem & culpabilem & plenum omnibus vitiis & omni ingratitude: unde, cùm me sciam tam vilem, tam miserum & abjectum, est mihi mea scientia occasio ploratum & dolorum & pœnitudinum cognoscendo meam fragilitatem & miseriam.

13. e. *Verax Domine, Amator Veritatis & Gratitudinis!* Tibi, qui scis, quàm magna & nobilis sit tua Gloria, certè magna Gloria est, quòd Te scias adeò gloriosum; quia, secundùm quod est magna Gloria, est etiam magna Scientia: unde, secundùm quod Gloria Te glorificat,

ficat, sic pariter Te glorificat Scientia.

14. *Tua Scientia, Domine, est etiam magna in Nobilitate & in Gloria; nam in hoc, quòd scias Gloriam, quæ est in Te, esse totam à Te ipso & non ab alio, est tua Scientia alta & excellens in Virtute & Sanctitate, quia scis totam Gloriam esse à Te, & omnem Gloriam esse in Te.*

15. *O Domine! Cùm scias Te esse totam nostram Gloriam & à nulla alia re nos glorificari in paradiso, nisi à Te, valde gloriosa & nobilis est ista Scientia, quia Te vides valde perfectum & honoratum in hoc, quòd Gloria non possit venire nec esse in ulla alia re, nisi à Te & in Te.*

16. f. *Iuste Domine, plene Libertate & Doctrinâ, à quo derivantur & exeunt omnes nostræ vires! Benedictus sis, quia, quamvis nostra scientia sit tam parva & tam debilis, quòd non possimus attingere ad sciendum quid sit tua Effentia; saltem Tibi placuit nobis demonstrare, Te esse in esse, & voluisti, quòd non veniremus ad Te per aliam viam, nisi per tuam.*

Cau-

17. Causa, quare nos, *Domine*, non habemus scientiam de tua Essentia, quid sit in se, est tua magna Excellentia & Altitudo, & miseria & defectus nostræ scientiæ.

18. Nam, sicut oleum per naturam natat super aquam, sic tua Scientia, *Domine*, est magis alta, quàm nostra; & propterea non possumus scire tantum, quantum Tu scis; etiam quia nostra scientia fuit excœcata & obtusa in Adamo, quando peccavit in hoc, quòd nostra anima & nostrum corpus sint inde in culpa statim, quando uniuntur; nam multò plus intelligeremus & sciremus, si illud peccatum non esset.

19. g. Laudes & reverentiæ & honores, *Domine*, sint tuæ benediçtæ Scientiæ, quæ facit, & dat nobis scientiam ad intelligendum essentialia qualitates in Te; nam per qualitates pervenimus ad certitatè sciendum & intelligendum, quòd sis Unus in Trinitate, & tua Trinitas sit in Unitate.

20. Veruntamen, quamvis nos sciamus, *Domine*, quòd tua Divina Substantia

tia fit in tribus Personis, per hoc tamen non habemus intelligentiam nec cognitionem de ipsa quid sit in se, quia est tam alta ad sciendum, quòd noster intellectus non sufficiat.

21. Et, si ad hoc non sufficiat, *Domine*, non miror, quia in minoribus deficit & non sufficit ad intelligendum & sciendum; nam, quamvis sciam meam humanitatem esse corpus & animam & spiritum, tamen non scio, quid mea anima sit in se ipsa.

22. h. *Sancte Domine, Adjutorium & Spes nostra!* Tua Scientia scit Te totum nobilem & totum perfectum & totum bonum, & Tu scis nihil esse conveniens ad sciendum, quod tua Scientia non sciat.

23. Tua gloriosa Scientia, *Domine*, valde distat ab esse talis, qualis est nostra; nam nos scimus hoc, quod scimus, cum medio, quod nobis est causa sciendi; sed Tu scis, omnia finè omni medio; & per hoc manifestatur & monstratur tuam Scientiam esse magnam, & nostram esse parvam.

O Do-

24. *O Domine DEVS!* Cùm nos sciamus Te esse totum bonum & perfectum, & istam scientiam habeamus per significationes creaturarum, quæ nobis hoc demonstrant; quantò magis scis Te ipsum bonum & perfectum, qui hoc non scis per demonstrationem, quæ Tibi fiat ab alio, sed solùm per Te ipsum?

25. i. Verè valde magna est, *Domine DEVS*, tua Scientia & valde nobilis; nam id, per quod nostra scientia crescit & melioratur, est, quia accedit ad Te amandum & cognoscendum; & omne id, per quod nostra scientia est bona & magna, est ratione Tuæ: igitur tua Scientia debet esse bene magna & nobilis, quæ scit suammet Bonitatem, cùm sciat totam Bonitatem tuæ Essentiæ.

26. *O Domine!* Quoniam ita est, quòd nostra scientia crescat & multiplicetur in Te, dicam omnibus meis familiaribus & vicinis & amicis, ut omnes me adjuvent ad contemplandum in Te secundùm verba hujus *Libri*; & hoc dicam eis, ut scientia ipsorum & mea magnificetur in Te.

Nam,

27. Nam, si nos, *Domine*, possimus esse tales, quòd contemplemur in Te ex tota nostra potestate & ex toto nostro corde secundum ordinationem hujus *Libri*, taliter magnificabitur & virtuificabitur nostra scientia, quòd non erit fames nec sitis nec dolor nec tristitia, quæ nobis possit nocere nec nos separare à tuo Amore.

28. k. *Supreme Domine, nobilis, honorate!* Convenit, quòd adoremus & honoremus & precemur tuam sanctam Scientiam, quia est extra terminum, intra quem nostra est inclusa.

29. Nostra scientia, *Domine*, est tam misera & parva, quòd omnis miseria & parvitas ei debeat attribui, quia est parva, & parùm durat, & paucæ sunt illæ res, quas scit.

30. *O Domine DEVS!* Cùm mea scientia sit tam debilis & misera, quòd sit parata ad recipiendum omnem ignorantiam & stultitiam, saltem rogo Te, ne finas eam oblivisci Nobilitatum & Virtutum & Honorificentiarum sui Domini DEI.

CAPUT XX.

*QUOMODO DEVS SCIAT OM-
nia, quæ sunt, & quid sunt.*

1. **D**omine DEVS ! Adoremus & sup-
plicemus & honoremus & ame-
mus Te, qui scis, quid angelica Substan-
tia sit in se ipsa, quia creasti & ordinasti
eam; quapropter non est mirum, si ha-
beas cognitionem de ipsa.

2. *Amorose Domine, bone & benigne
& beate !* Si Tu scis, quid sit angelica
Substantia in se ipsa, nos hoc non sci-
mus; nam, quamvis cognoscamus An-
gelum esse spirituales Substantiam, ta-
men non scimus quid sit sua Substantia
in se ipsa; & iste defectus est in nostra
scientia, quia esse Substantiæ angelicæ est
absconditum à nostris quinque corpo-
ralibus sensibus.

3. *O Domine sancte, grate, dulcis, lar-
ge !* Si Substantia angelica est occulta no-
stræ scientiæ, quia de ea non fit repræ-
sentatio nostris quinque sensibus spiri-
tualibus

tualibus per corporales, tamen non est occulta nec obscura tuæ Scientiæ; quia non oportet, quòd ei fiat repræsentatio nec demonstratio, cùm omnia sciat.

4. b. Tibi, *Domine*, qui es Gloria Catholicorum, cognoscatur Fortitudo & Æternitas & Magnitudo & Gratia; quia *esse* animæ rationalis scitur & cognoscitur à Te, cùm creaveris animam, & eam principiaveris & ordinaveris, & eam sustineas: igitur benedictus sis, *Domine*, qui tantum scis, quòd nihil sit Tibi occultum, nec sit aliquid tantum sciens, quantum Tu scis.

5. *O Domine DEVS!* Amatus & honoratus sis Tu; nam, si Tu scis nostras animas, nos eas non scimus, quamvis simus conjuncti ex anima & corpore; imò tam parùm scimus, quid sit nostra anima, sicut si ipsa non esset in nobis, & hoc est, quia de essentia animæ non fit repræsentatio nostris sensibus corporalibus nec spiritualibus.

6. Hoc est, *Domine*, quasi mirum, quòd anima sit in nobis, & nos simus anima, & non sciamus, quid sit anima

in se ipsa ; veruntamen , si bene perpenditur, non est mirum ratione magnæ parvitatis & magni defectûs , qui est in nostra scientia.

7. c. Laus & Infinitas & Excellentia & Altitudo cognoscatur Tibi , *Domine*, qui lætificas & consolaris justos ; quia habes cognitionem de materia & forma firmamenti & elementorum simplicium & compositorum ; quoniam , quid sit materia & forma eorum , scitur à tua Scientia , cùm eas creaveris & feceris & teneas in ordinatione.

8. *O Domine benigne !* Non est ita de nostra scientia, sicut de tua ; nam , quamvis habeamus corpus compositum ex quatuor elementis, tamen, quando intelligimus materiam & non consideramus formam in ea, non habemus tantam scientiam nec intellectum , quòd possimus scire & intelligere , quid sit materia in se ipsa.

9. Igitur hoc , *Domine DEVS* , est magnum mirum , quòd nos simus illares , quam non scimus nec intelligimus quid sit in se ipsa : unde, cùm ad sciendum

dum id, quod sumus, nobis deficiat scientia & intellectus, quantò magis debet nobis deficere ad sciendum & cognoscendum, quid sit tua Substantia in se ipsa?

10. d. Tibi, *Domine DEVS*, qui benedicis, quos vis, cognoscamus Majoritatem & Honorificentiam & Nobilitatem, quia cognoscis & scis illam rem, quæ est tempus, cùm terminaveris, & incluseris ipsum inter principium & finem: quapropter non est mirum, quòd cognoscas tempus, quoniam illud creasti.

11. Nostræ scientiæ, *Domine DEVS*, possumus attribuere vilitatem & miseriam, quia non sufficit ad cognoscendum quid sit hora, in qua incipimus esse, nec quid sit hora, in qua desinemus esse in hoc mundo, nec quid sit hora, in qua sumus de præsentis: igitur, cùm nostra scientia non sufficiat ad sciendum ista, quænam scientia est plus misera & parva, quàm nostra? & quænam scientia est adeò magna, sicut tua?

12. Omnis iste defectus, *Domine*,
M est

178 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

est in nostra scientia ratione parvitas & debilitatis, quæ est in instanti, in quo tempus stat; quia illud instans est tam parvæ quantitatis & tam velociter transit de tempore præterito ad futurum, quòd noster intellectus non possit percipere suam parvam quantitatem nec attingere suum cursum & velocitatem.

13. c. *Pietatem, Justitiam, Veritatem & Misericordiam attribuamus Tibi, Domine magne & mirabilis*, quia scis causam, quare simus in sanitate, & quare deveniamus in infirmitatem; cum Tu des sanitatem & infirmitatem, & facias in nobis quidquid vis.

14. Non est ita, *Domine*, de nostra scientia; nam, quamvis sentiamus nos sanos vel infirmos, tamen nescimus verè causam, quare simus sani vel infirmi, sed procedimus in hoc per divinationes, & probatur ex hoc, quòd multoties putemus juvare ad nostram sanitatem, & juvamus ad nostram infirmitatem.

15. Unde magnum mirum est *Domine*, quomodo nostra scientia sit tam

parva & tam parvæ virtutis, quòd malum sit in nobis, & nesciamus illud abjicere à nobis, nec possimus ab illo fugere, quocunque eamus; imò est quandoque in medio nostrî, & sentimus nos mori, & non cognoscimus rem, quæ nos ducit ad mortem.

16. f. *Tibi, Domine, qui remuneras illos, qui Tibi serviunt, attribuimus & comparamus omnem Sapientiam & omnem Affabilitatem & omne Dominium; & hoc facimus ratione tuæ honoratæ Scientiæ; & attribuimus nostræ scientiæ omnem stultitiam & omnem servitutem; quia, quamvis homo sit nobilissima creatura, tamen deficit in sciendo essentias rerum, quæ sciuntur à tua benedicta Scientia.*

17. *O Domine dulcis & suavis, quàm magnus est defectus, qui est in nostra scientia! Nam per defectum scientiæ nos jactamus & gloriamur putando scire id, quod nescimus, & affirmamus scire essentias rerum, quas nescimus; & non memoramus, quòd nobis deficiat scientia ad sciendum nostrammet essentiam.*

Glo-

180 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

18. *bo Gloriose Rex Gloria!* Si homines superbi, vanigloriosi scirent parvitatem & fragilitatem, quæ est in sua scientia, non essent tam elati, & ignorantes, sicut sunt; imò se humiliarent suo Creatori & suo Domino & suo æquali proximo.

19. *g. Durabilitas & Trinitas & Singularitas & Unitas cognoscatur Tibi, Domine DEVS*, qui scis, quòd, quamvis confiteamur & concedamus nostram scientiam esse paucam & debilem, tamen non simus excusati in nostris operibus, in quibus multoties scienter erramus, & in quibus non erramus per defectum scientiæ.

20. *su* Nam, quamvis ego, *Domine*, non sciam, quid sit tua Essentia, nec mea, nec creaturarum, saltem sufficit mihi scire Te esse in *esse*, & me esse subditum ad amandum & honorandum & laudandum Te, & ad serviendum Tibi ex tota mea voluntate & ex omnibus & totis meis viribus.

21. *tu* *Vnde Tibi sit, Domine, Laus & Benedictio & Amor & servitium*, quia
Tibi

Tibi placuit adeò virttificare nostrum intellectum, quòd sciamus nos teneri ad honorandum & timendum Te & ad obediendum Tibi in omnibus tuis mandatis & in omnibus tuis voluntatibus.

22. h. Tibi, *Domine*, qui remuneras tuos beatos Servos, attribuatur Primitas & Ultimitas & Gloria & Virtus, & mihi principium & finis & debilitas & miseria; quia in me est tam parva scientia & intelligentia, quòd per ignorantiam me multoties jactaverim scire id, quod nesciebam, & reprehendebam homines, quando nesciebant ea, quæ ipsis erant impossibilia scitu.

23. *O Domine DEVS, DEVS meus & Dominus meus!* Benedictus sis; quia usque nunc non percepi defectum, qui est in mea scientia; sed nunc percipio & cognosco illum per tuam Gratiam: unde precor Te, ut mihi custodias & salves hanc scientiam, quam mihi das ad cognoscendum parvitatem & miseriam meæ scientiæ.

24. *O Domine!* Si contingat, quòd me velim jactare & gloriari de magnitudine

182 *B. Raym. Lulli Lib. Contēmpl.*
tudine scientiæ, precor Te, ut meæ ani-
mæ repræsentantes miseriam & paupertatem,
quæ est in mea scientia; &, si de
illa miseria se velit jactare & gloriari,
hoc faciat, sed non de hoc, quod non
est in ea.

25. i. *O beate Domine!* Adjutorium &
Amor & Altitudo cognoscatur in Te,
qui excitas à somno errantes & peccato-
res; quia Tu es, qui scis reficere & repa-
rare id, quod destruimus & erramus,
per defectum scientiæ; quoniam in re-
bus, quas ignoramus, non habemus sci-
entiam nec potestatem cavendi ab erro-
re; &, si illas erramus, tam debilis & mi-
sera est nostra scientia, quòd nesciamus
eas adaptare.

26. Sed tua Scientia, *Domine*, quæ
scit omnia, est potens custodire & salva-
re omne, quod est bonum, &, si aliquid
destruatur, potest reficere & scit melio-
rare illud: unde, si non sciamus nos me-
liorare, meliora nos Tu, qui habes hanc
Potestatem & Scientiam.

27. Igitur placeat Tibi, *Domine*,
quòd tua Scientia nobis det benedictio-
nem

nem & gratiam , ut Te adorando & amando & Tibi serviendo sciamus contemplari in ipsa & in tua Virtute.

28. k. *Suavis Domine, qui dirigis justos & mundas peccatores!* Amicitiam & Beatitudinem & Bonitatem cognoscamus Tibi & tuæ Scientiæ ; quia adeò es bonus per ipsam & per multas alias Virtutes, quòd multas causas habeamus, quare Te debeamus amare & debeamus facere nos bonos in Te, & major causa est, quia in nostra scientia est cognitio & perceptio tuæ magnæ Bonitatis.

29. Magnam verecundiam debemus habere , *Domine* , quia scimus , quòd in tua benedicta Scientia sciatur noster defectus & nostra ingratitude & omne id, in quo erravimus & defecimus contra Te; nam , quòd plùs vales & nos scimus, quòd scias omnes nostros defectus , eò plùs debemus verecundari.

30. *O Domine!* Quoniam ita est, quòd sciamus nos esse scitos in tua Scientia ita viles & culpabiles, placeat Tibi , quòd Te cognoscamus , & sciamus dulcem & suavem & misericordem , ne
nostram

nostram spem separemus à tua magna Pietate, nec frigeamus in amando Te, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT XXI.

*QUOMODO DEVS SCIAT, QUID
quid faciant creatura.*

1. **D***ivine Domine!* Benedictio & Sanctitas & cognitio est in Te; nam Tu scis, quidquid faciant Angeli, & omne, in quo gloriantur, & omne, in quo nos adjuvent, & omnia loca, in quæ se transferant, & totum hoc scis, quia creasti eos & ordinas ipsos in omni, quod faciunt.

2. Similiter, *Domine*, scis, quidquid faciant dæmones, quia scis omnes falsitates & fraudes, quas nobis faciunt, & omnes malitias, quas habent; & hoc scis, quia ipsi sunt sub tua Potestate, & sub tua Sententia.

3. Quidquid faciant firmamentum & cœlestia corpora, Tu scis, *Domine*; quia

quia suum motum & ea, quæ cœlestia corpora faciunt in corporibus elementatis, omnia scis, quoniam appropriasti eis omnia, quæ faciunt.

4. b. *Domine JESU Christe!* Omnis Concordia & omnis Justitia & omnis Defensio est à Te & per Te, & omnis Nobilitas est in Te; quia Tu scis, quidquid faciant elementa in suis mixtionibus & compositionibus & discompositionibus.

5. *Liber Domine!* Tua Scientia est adeò magna, quòd scias quidquid faciant metalla & animalia & vegetabilia, & nihil fit, quod sit occultum tuæ Scientiæ.

6. Etiam scis, *Domine*, omne solatium, quod animalia invicem habeant, & omnem laborem; & scis in vegetabilibus omne, quod generent & corrumpant & moveant, & non est mirum, quoniam ea creasti & ordinasti, & sustines in *esse*.

7. c. Valde sancta & gloriosa est, *Domine*, tua Scientia: laudata & benedicta sit ipsa; quia, quidquid homines cogitent

gitent & habeant in suo corde, sive sit bonum sive malum, scis.

8. Quid mirum, si scias, *Domine*, quidquid homines faciant vel cogitent? quia Tu es, qui ipsos facis loqui & ire & se movere, & sustines & ponis eos in omni, quod vis.

9. Tibi, *Domine DEVS*, & tuæ Scientiæ demus dignitatem & dulcedinem & gloriam & laudem, & nostræ scientiæ demus & comparemus fragilitatem & paupertatem; quia, si tua Scientia scit, quidquid faciamus, hoc non scit nostra: unde, cum non sciamus ea, quæ facimus, bene possumus cognoscere, quòd nostra scientia sit fragilis & misera.

10. d. *Amorose Domine, in quo est omnis Largitas & Nobilitas & Virtus!* Adeò plenus & perfectus es Scientiâ, quòd scias omnes nostras voluntates; & ista est magna nobilitas tuæ Scientiæ, quòd sciat tot voluntates ita ad invicem contrariantes.

11. Non est sic de nostra scientia, *Domine*, sicut de tua, quia non possumus ad invicem scire voluntates, quæ sunt

sunt in nobis, quousque eas audimus vel percipimus per similitudines; & etiam, *Domine*, ad sciendum illas veraciter non sufficiunt nobis verba, nec signa, nec nutus.

12. Et adhuc est hoc quid majus de mea scientia, quòd non sciam, quamdiu durabit voluntas, quæ est in me, nec sciam, quando discedet à me, nec sciam, quàm magna sit contrarietas mei intellectûs.

13. e. *Beate Domine!* Tua Scientia scit, quâ intentione faciamus quidquid facimus, scilicet an primâ vel secundâ; &, si operemur primâ intentione intuitu nostrî, scit, quòd peccemus & erremus; &, si operemur primâ intentione intuitu Tui ad serviendum Tibi, scit, quòd operemur ad tuam laudem & gloriam & ad nostram utilitatem.

14. *O vere DEVS!* Dominium & Excellentiam & Integritatem cognoscamus Tibi, qui scis omnia nostra opera, sive sint virtuosa sive vitiosa, & scis modum & causam, propter quam mutantur de vitiis in virtutes & de virtutibus in vitia.

Per-

15. *Perdurabilis Domine!* Cùm sis adeò sapiens & perspicax in omni, quod facimus, beati sunt omnes, qui Te amant & honorant & Tibi serviunt & Te laudant verâ intentione; & vœ illis, qui pro amore suû laborant, ut honorentur & delectentur in hac fragili vita mundana.

16. f. Quis est, *Domine*, qui possit æstimare & comprehendere Magnitudinem tuæ Scientiæ, quæ simul scit omnes cogitationes omnium hominum, quantumcunque sint contrariæ.

17. *Æternitas & Divinitas & Perdurabilitas cognoscantur tuæ Scientiæ, Domine*, & nostræ scientiæ principium & finis; quia non possumus simul intelligere diversas res, nec diversas cogitationes, sed convenit nos intelligere unam rem post aliam; Tu autem, *Domine*, scis omnia simul, & quantumcunque contraria & multa sint, non impediunt tuam Scientiam.

18. Adhuc possumus percipere, *Domine*, nostram scientiam esse parvam & fragilem, & tuam magnam & nobilem; nam, si duo homines loquantur res contra-

tra-

trarias, qui audit eos loqui, non potest percipere sensum verborum in uno tempore; quia quædam verba perdet, ut intelligat alia; sed tua Scientia, *Domine*, non impeditur per multitudinem diversorum verborum, imò omnia illa scit, & intelligit.

19. g. Dignitatem & Gloriam & Libertatem attribuimus Tibi, *Domine*, ratione tuæ Scientiæ, quæ tam bene scit res præteritas & futuras sicut præsentem, & miseriam & servitutem attribuimus nobis, quia nostra scientia magis ignorat res præteritas & futuras, quàm præsentem.

20. *O benedicte Domine!* Ignorantia, quam habemus in rebus, est, quia tempus præteritum & futurum eas nobis occultat & obscurat ratione absentiam earum, & parva scientia, quam habemus in rebus, est in tempore præsentem ratione demonstrationis & repræsentationis, quam ipsæ faciunt nostris sensibus corporalibus.

21. Et propterea, *Domine*, quia res sunt nobis absentes in uno tempore &

non in alio, sentimus majorem verecundiam de peccatis, quæ facimus in tempore præfenti, quàm de illis, quæ fecimus & quæ faciemus, quamvis illa, quæ fecimus vel faciemus, sint adeò gravia vel majora, quàm illa, quæ facimus: unde, nisi contingeret ratione defectûs scientiæ, æquè deberemus verecundari de peccatis, quæ fecimus vel faciemus, sicut de illis, quæ facimus in præfenti.

22. h. *Æquè deberemus, Domine DEVS, Te laudare, & benedicere & gratias agere pro gratia & amore & honore, quos nobis fecisti in tempore præterito, & facies in futuro, sicut pro illis, quos nobis facis in tempore præfenti, & quòd hoc non faciamus, contingit ratione defectûs scientiæ, quæ nobis deficit ad sciendum res præteritas & futuras: igitur Infinitas & Magnitudo & Dominium sint tuæ sanctæ Scientiæ; quia in fragilitate nostræ significatur nobis Altitudo tuæ.*

23 *O Domine legalis & verax, plene omni Scientiâ! Si contingat, quòd ego miser non sim Tibi gratior propter bona,*

na,

na, quæ vis mihi facere in tempore futuro, quàm fuerim gratus propter bona, quæ mihi fecisti in tempore præterito, mihi fero sententiam, & precor Te, ut auferas me de hoc mundo.

24. Quia valde injuriosum & indecens est, *Domine*, quòd homo recipiat dona & beneficia à suo Creatore & à suo Domino, & non sit ei gratus nec ei obligatum se recognoscat propter illa.

25. i. *Domine bone, Domine large, Domine laudate!* Magnificentia & Liberalitas & Honor est in Te & in tua Scientia; quapropter dicam omnibus meis vicinis & amicis, quòd omnes Te revereamur & timeamus, quia es adeò sapiens & plenus omni Scientiâ, quòd nihil, quòd faciamus aut dicamus aut cogitemus, possit à Te esse absconditum.

26. Hoc idem dicam meæ animæ, *Domine*, ut attendat, quid faciat, & quid cogitet, & quâ intentione faciat aut cogitet, quia tale poterit esse suum opus & sua intentio, quòd inde laborem & dolorem sibi acquirat; & tale poterit esse suum opus & sua intentio, quòd benedictio-

192 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ditionem & beatitudinem inde sibi ac-
quirat.

27. Veruntamen, *Domine*, ego sum
adeò pauper virtutibus & intellectu,
quòd sinè tuo Adjutorio nec hominibus
nec mihi ipsi possim dicere nec admo-
nere aliquid boni, nisi me adjuves per
tuam sanctam Pietatem.

28. k. *O Pater & Domine!* Majoritas
& Justitia & Misericordia cognoscatur
Tibi & tuæ Scientiæ, quia scis omnes
falsitates & vilitates & turpitudines, quas
unquam feci, dixi & cogitavi; quapro-
pter debeo valde verecundari ante tuum
benedictum Altare.

29. Quoniam, quando cogito & me-
moro delicta, quæ commisi in mea ju-
ventute, & video, *Domine*, quòd omnia
illa scias, non est mirum, si verecunder
& timeam Te; & maximè, cùm non sci-
am, quid facies de me, an mihi parces,
vel an me damnabis.

30. Quoniam, *Domine*, scis omnia
mea peccata & omnia mea errata, pla-
ceat Tibi mihi demonstrare tuam mag-
nam Patientiam & tuam magnam Mife-
ricor-

CAPUT XXII.

QUOMODO DEVS SCIAT QUAN- tatem omnium rerum.

1. **O** *DEVS gloriose Domine!* Nobilitatem & honorem confiteamur & fateamur esse in Te cum omni Perfectione Scientiæ; quia, quamvis Angeli & dæmones sint multi, tamen scis numerum omnium illorum; & non est mirum, quoniam eos creasti, & sustines in esse.

2. Adhuc, *Domine*, scis, quot anni sint, ex quo creasti Angelos usque nunc; & scis, quot sint menses & septimanæ & dies & horæ & momenta & puncta ab illa hora, in qua creasti illos, usque nunc.

3. Tu, *Domine*, scis omnem gloriam, quam Angeli habent in Paradiso, & scis omnem pœnam, quam dæmones habent in inferno, quia glorificas Angelos, &

N

tor-

tormentas dæmones : igitur non est mirum, si scias eorum gloriam & pœnam.

4. b. Quis est, *Domine*, qui posset referre Magnitudinem tuæ Scientiæ? quia scis quàm magnum sit firmamentum in profunditate & in latitudine & in longitudine, & quot mensuras contineat, sive sint magnæ mensuræ sive parvæ.

5. Tuæ sanctæ Paternitati, *Domine DEVS*, sit laus & gloria, & tuæ sanctæ Scientiæ, quia scis, quot sint stellæ; & scis numerum motûs firmamenti & suorum corporum cœlestium, & scis eorum velocitatem.

6. Quò magis cogitat homo in tuâ Scientia, *Domine*, eò magis virtuofam & mirabilem invenit eam: benedicta sit ipsa; quoniam scis, quot sint omnes montes & planities, & scis omnia flumina & omnes fontes & puteos & maria, & scis, quot sint loca mundi, & quot sint grana arenæ, & atomi: omnium numerum scis.

7. c. *Honorabilis Domine benigne & dulcis & pie!* Honoratio & honor Tibi

cog-

cognoscatur in hoc, quòd scias, quot sunt animalia & metalla & vegetabilia & res mobiles & inanimatæ: omnium eorum scis quantitatem.

8. Etiam scis, *Domine*, quot sint genera animalium & vegetabilium, & quot sint species & individua illorum, & quot sint in eis pili & capilli, & quot sint folia herbarum & arborum.

9. Adhuc ultra scis, *Domine*; quia scis, quot sint Civitates & Castella & Oppida & Prædia, & quot guttæ pluvix fuerunt unquam, & quot sint guttæ in mari & in aquis terræ.

10. d. Magnitudinem & altitudinem & dignitatem tuæ nobilis Scientiæ non posset homo æstimare nec comparare; nam Tu, *Domine*, scis, quot erunt homines, qui salvabuntur, & scis quot sint, qui peribunt; & scis, quinam sint, qui salvabuntur vel peribunt, & scis quanta erit gloria illorum, qui salvabuntur, & poena illorum, qui peribunt.

11. Etiam scis, *Domine*, quotupliciter salvati glorificabuntur & quotupliciter damnati torquebuntur, quia totum

196 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tum hoc est in tua Scientia, & adhuc
plus.

12. Etiam, *Domine*, tua honorata
Scientia est adeò magna & benedicta,
quòd scias, quot sint bona, quæ justi fe-
cerunt, & mala, quæ evitarunt, & scias,
quot sint mala, quæ peccatores fecerunt,
& bona, quæ potuerunt facere: unde
Gloria & Perdurabilitas cognoscatur ta-
li Scientiæ, qualis est tua.

13. e. *O Domine perdurabilis patiens!*
Nos non debemus oblivisci Valoris &
Nobilitatis tuæ magnæ Scientiæ, quæ est
adeò magna & mirabilis, quòd sciat
principium & finem temporis.

14. Gloria & Laus & benedictio sit,
Domine, tuæ Scientiæ, quæ scit, quoties
moveatur firmamentum & stellæ & ve-
getabilia & animalia & aquæ & atomi
terrarum: omnia sciuntur à Te: bene-
dicta & laudata sit talis Scientia adeò
magna.

15. Valde mirabiliter, *Domine DEVS*,
est magna tua Scientia in omnibus rebus
ratione magnarum Nobilitatum, quæ
sunt in Te; & valde mirabiliter est nos-
tra

tra scientia parva & misera, quia in nobis tot defectus & vitia sunt unita; nam sicut per perfectionem tuæ Scientiæ scis omne, quod factum est, & fit, & fiet in uno momento, sic ratione defectûs, qui est in nostra scientia, nescimus, an simus habituri tempus vel locum elevandi unam paleam à terra, vel dicendi unum verbum.

16. f. Sicut Tu, *Domine DEVS*, scis multa & scis diversitatem eorum, ita esset ratio, quòd multis modis daremus laudem de Te, & conaremur servire Tibi memorando & magnificando & amando & honorando Te.

17. *O Domine verus DEVS & verus Homo, Domine liber & humilis!* Si Tu debes amari & laudari à multis hominibus diversimodè, tuus servus debet vilipendi & contemni à multis hominibus & debet tormentari multis & diversis pœnis.

18. Nam momenta & horæ & dies, quibus erravi contra Te, *Domine*, non possent numerari nec æstimari: tam vilis sum & malus & rejicibilis à tuo servitio.

Do-

19. g. *Domine simplex, dulcis, patiens & suavis!* Quando cogito multitudinem meorum peccatorum, invenio ea esse tot & tanta, & meam scientiam adeò modicam, quòd non possim sufficere ad sciendum quantitatem illorum, sed bene sufficio ad sciendum quantitatem bonorum, quæ feci; & hoc non scio ratione meæ scientiæ, quæ sit magna, sed ratione bonorum, quæ sunt pauca.

20. Quomodo possem scire, *Domine*, quot sint mea peccata? Nam, in quot atomos corpus meum erit divisum, quando erit resolutum in pulverem post mortem, tot erunt mea peccata, quia quælibet atomus erit peccatum in hoc, quòd totum meum corpus fuit peccatum.

21. *Amorose Domine liber!* Cùm tuus fervus sciat Te scire tantùm, quòd scias magnitudinem suorum peccatorum, & numerum eorum, quam viam arripiet? & quò fugiet? & quid faciet? & cum quo se juvabit à tua iusta Sententia?

22. h. *Magne Domine, mirabilis, fortis,*

cui nemo potest resistere! Tuus servus est Tibi adeo culpabilis ratione suorum delictorum & ratione ingratitude, quam habuit erga Te, quod non sciat, quid faciat, nec quid dicat, nec quale consilium capiat.

23. *O Domine!* Postquam multum perpendissem & cogitarem, quam viam possem arripere ad liberandum me à meis peccatis, non invenirem aliam, nisi obligare me ad Tibi serviendum, & ad Te amandum omnibus diebus vitæ meæ ita, quod nihil aliud amem, nec alteri serviam, nisi Tibi.

24. Et etiam ad dandum in tota mea vita meis oculis multos ploratus & multas lacrymas, & meo cordi multa suspiria & multas poenitudines, & meo ori multam famem & multam sitim, & meo corpori multum calorem & multum frigus, ut sicut in me, *Domine*, scis multa peccata, scias etiam in me multas afflictiones.

25. *i. Amabilis Rex gloriose, plene omnî Gratiâ!* Quoties erravi contra Te, toties & amplius adhuc sum obligatus ad aman-

amandum & honorandum & laudandum
Te & ad serviendum Tibi ; sed quomo-
do hoc faciam , si mei dies sint breves
& non sufficiant ad complendum om-
nia ista ?

26. *O Domine !* Qui scis quantum
Tibi sim obligatus , & scis , an mei dies
erunt multi vel pauci ; rogo Te , ut , si
sint pauci , eos multiplices , ut in hoc
mundo possim satisfacere tuo Honori
& servitio.

27. *Beate Domine* , non sit Tibi tæ-
diosum & grave , si Te importunem pre-
cibus ; nam , quia scio Te esse adeò pi-
um , quòd non dedigneris audire illos,
qui Te invocant , & in Te confidunt,
ideò audeo precari Te tam sæpe & tam
longis verbis.

28. k. Tu, *Domine DEVS* , scis , quòd
homines amantes Te multa ament pro
amore Tuî , & scis , quòd homines non
amantes Te multa omittant amare , quia
Te non amant.

29. Quot , sint ea , quæ debuiffem
amare , *Domine* , Tu scis ; & quot sint ea ,
quæ disamavi & abhorruï , etiam scis :

unde

unde placeat Tibi per tuam Pietatem, quòd illa, quæ disamavi & abhorruì, adhuc amem pro amore Tuì, ut scias me esse amatorem multarum bonarum rerum.

30. Gloriam & Virtutem & Honorem & Benedictionem & Honorificentiam cognoscamus & demus, *Domine*, tuæ Scientiæ, quæ tot & tanta scit in quantitate & in numero; & laudemus & benedicamus Te, quia dedisti tuo fervo tantam gratiam, quòd perfecit istam Distinctionem ad honorem tuæ Essentiæ Divinæ.

DISTINCTIO VIII.

DE VERITATE DIVINA.

CAPUT XXIII.

QUOMODO DEVS SIT VERITAS.

1. **D***EVUS meus & Dominus meus* | Tibi, qui es Veritas, placeat aperire

202 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl!*
rire meum os in Veritate ita, quòd nul-
lum verbum transeat per ipsum, quod
non sit verum.

2. Igitur, *Domine*, cui debetur amor
& laus & timor & servitium, aperiam
meum os in Veritate, & cantabo can-
ticum de Veritate, & dicam:

3. Gloria & Laus & Misericordia &
Justitia sit Domino, qui est unus DEUS
in Trinitate, & una Trinitas in Unitate,
qui Dominus fuit incarnatus & cruci-
fixus & mortuus & resuscitatus & glori-
ficatus in cœlis, & veniet ad judican-
dum bonos & malos.

4. b. *Perdurabilis Domine, Rex Gloria,
Conclusor omnium Locorum!* Remissio-
nem & donum & misericordiam cognos-
camus Tibi & in Te; quia Tu es, à quo
nascitur & fuit Veritas in nos: unde
tam vera Veritas es, quòd nulla falsitas
possit esse in Te nec venire à Te.

5. Sicut homo debet Tibi, *Domine*,
attribuere omnem Bonitatem & omnem
Honorificentiam & omnem Virtutem,
quia es Veritas, ita debet mihi attribue-
re omnem vilitatem & omnem miseri-

am

am & omnem defectum; quia omni tempore me elongavi à Veritate, & fugi ab ea, & quæsi vias falsitatis.

6. Et totum hoc mihi evenit, *Domine*, quia quærebam Veritatem, ubi ipsa non erat, & confidebam in rebus, quæ non erant Tu.

7. c. *Benedicte Domine!* Benedictio-
nem & nobilitatem & majoritatem confiteamur esse in Te, qui es tam veraciter Veritas, quòd tua Veritas non moveatur de suo esse, nec commutetur in non verum; imò infinite & æternaliter fuisti verus, & eris ita veraciter verus, quòd nunquam fuerit, nec erit in Te aliquid contrarium vero.

8. Tuæ Veritati, *Domine DEVS*, propria est firmitas sinè omni alteratione; & hoc est, quia inter tuam Veritatem & contrarium Veritatis non est ulla convenientia, per quam possint conjugi, & per quam tua Essentia uno tempore possit esse in Veritate, & alio in suo contrario.

9. Unde, sicut tuæ Veritati, *Domine*, debemus attribuere omnem Nobilitatem

204 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tatem & omnem Virtutem & Bonitatem
ratione suæ Firmitatis & Durabilitatis;
ita possum ego miser veritati, quæ est
in me, attribuere omnem vilitatem &
omnem miseriam; quia, dum sto in Ve-
ritate contemplando tuam Bonitatem,
parum falsitatis me deviat, & me fa-
cit cogitare res magnæ falsitatis & mi-
seriæ.

10. d. *Pie Domine!* Ideo tua Veritas
est in majori Veritate, quàm ulla alia,
quia æternaliter est in *esse* actuali, & nun-
quam in *esse* potenciali; sed non ita est
de nostra, quæ quandoque est in *esse* po-
tentiali, & quandoque in actuali; &
propterea tua Veritas nunquam potest
privari.

11. Unde laudetur & benedicatur
tua Veritas, *Domine*, quia Nobilitas,
quæ est in ea, non est in ulla alia Ve-
ritate, nam omnis alia Veritas priùs
fuit in privatione, quàm in *esse* vero,
sed tuam Veritatem nunquam præces-
sit privatio.

12. *Gloriose Domine, plene omni Veri-
tate!* Quia veritatem nostram præcessit
priva-

privatio, ideo veritas & falsitas se associant, & se conjungunt in nostro *esse*, & sumus uno tempore in veritate, & alio in falsitate; & ista commutatio venit nobis ratione privationis & falsitatis, quæ sunt similes in natura, & concordant ad destructionem veritatis.

13. e. *O Domine DEVS, qui es in altiori & nobiliori esse, quod possit esse!* Quamvis tua Essentia sit nobis invisibilis in hoc mundo ratione quinque sensuum corporalium, quibus est occulta, in quantum non possunt attingere ad sentiendum illam; per hoc tamen non sequitur, quòd sit in falsitate; nam, licet quinque sensus corporales non sufficiant ad sciendum Veritatem tuæ Essentiæ, tamen sufficiunt quinque sensus spirituales.

14. Quamvis non possimus, *Domine*, attingere tuum *esse* quinque sensibus corporalibus, tamen non sequitur, quòd tuum *esse* non sit multò melius in Veritate, quàm nostrum, quod attingimus quinque sensibus corporalibus; quia non posse attingere Te, non venit ex tuo

defe-

defectu, sed ex defectu quinque sensuum corporalium ad hoc non sufficientium.

15. Veruntamen in hoc, ad quod non sufficiunt quinque sensus corporales, sufficiunt, *Domine*, sensus spirituales, quia cum illis intelligimus nos esse terminatos & finitos, & tuum esse esse æternum & infinitum.

16. f. *Domine Creator & Salvator & Consiliator noster!* Estne ulla stupiditas similis stupiditati hominum, qui dubitant de tua Veritate, quia quinque sensus corporales non eis sufficiunt ad dandum certificationem de tua Substantia Divina? nam sensus corporales non habent dignitatem nec potestatem dandi certificationem nec cognitionem quantum ad se ipsos, nisi de rebus corporalibus.

17. Scientia, quam homo habet, *Domine*, per sensus corporales, non est virtuosa nec magnæ subtilitatis & bonitatis, quia res, quas homo scit per illos, sunt corporales finita & terminata & corruptibiles.

18. Unde, cum ordinaveris, *Domine*, quòd Te intelligamus per sensus animæ, fecisti nobis multò majorem gratiam, quàm fecisses, si Te intelligeremus per sensus corporis; quia sensus spirituales nobis significant tuam Veritatem esse perfectam, & sensus corporales non possent dare nobis tantam significatio-
nem.

19. g. *Domine Creator mundi & Reparator ipsius!* Obedientia & honor & amor sit Tibi & tuæ Veritati, quia Dominium, quod habes super nos, est magis verum Dominium, quod possit esse, cum sis Dominus Dominorum, & Melior meliorum; & propterea es magis verè Dominus, quàm ullus alius.

20. Unde Magnificentia & Gloria sit, *Domine*, tuæ sanctæ Veritati; quia non est sicut Veritas, quæ est in Regibus & in hominibus vani-gloriosis & superbis; nam habent tam magnam vilitatem & miseriam, & adèò deficiunt à Virtutibus, quòd Veritas quæ est in eis, sit parvi valoris, & sit valde propinqua omni falsitati & miserix & vanitati.

21. *Amorose Domine!* Valde magnum mirum est, quomodo mea stupiditas fuerit tam magna; nam multò magis cogitavi & confidi in veritate Regum & hominum mundanorum, & dedi plures laudes de illa, quàm de tua; & propterea deveni contrarius omni veritati, & sum plenus & refertus falsitate.

22. h. *O Rex Gloriae, qui glorificas tuos amicos in Gloria!* Honorem & reverentiam & gratias habeamus Tibi; quia tam verus Dominus es, & tam Amator Veritatis, quòd nunquam prodideris, nec deceperis ullum tuum amicum nec inimicum; nec ullus homo fuit deceptus in Te, postquam in Te confideret; nec unquam fecisti ulli promissionem, quam non adimpleveris.

23. *O Dominus meus & DEVS meus!* Non sum ego talis, quòd possim de hoc gloviari, quia prodidi & decepi multos meos amicos, quibus dixi multa mala & falsitates, & feci multas injurias, & totum hoc faciebam, quia non sciebam nec cogitabam tuam Veritatem, nec Virtutem & Nobilitatem, quæ est in ea.

Tibi,

24. Tibi, *Domine*, & tuæ Veritati veraciter cognoscatur Benedictio & Gloria & Honorificentia & Bonitas, & mihi fragilitas & stupiditas & mendacium; quia conjunxisti me cum vera Veritate, & ego ferè omnibus meis diebus ab ea recessi, & me associavi cum falsitatibus & fraudibus.

25. i. *O Rex Regum!* Cùm tua Veritas sit tam magnæ Veritatis; quid faciet tuus servus miser in die Judicii, quando veniet ad tuum verum judicium, & veniet totus plenus falsitatibus & vanitatibus & mendaciis?

26. *Placens Domine, humilis, honorate!* Valde necessarium mihi esset, quòd me impleres intùs & foris Veritate, ut omnia mendacia & falsitates, quæ nunc sunt in me, exirent ex me, & nullo tempore in me redirent; & essem adeò plenus Veritate, ut omnia mea errata confiterer clamando coram gentibus.

27. Valde indigeo Veritatem habere tantam Potestatem in me, *Domine*, quòd totaliter sim suus servus & subditus, ut omnibus modis sim obediens Ve-

O

ritati,

210 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ritati, & ut in omnibus meis viis, & in
omnibus meis diebus ponam Verita-
tem ante me, & falsitatem projiciam
à me.

28. k. *Domine sancte, Resuscitator mor-
tuum!* Adeò fui in mendaciis & falsi-
tatibus, quòd omnia mea ossa sentiam
infirmas & percussa, & omnes meas pul-
pas & carnes infirmas, & omnes quin-
que sensus meae animae perturbatos.

29. *Unde, cum, Domine, sim in tam
gravibus doloribus & in tam gravibus
infirmis, peto à Te gratiam, ut Ti-
bi placeat sanare & curare omnia mea
ossa & meas pulpas, ne sensus meae ani-
mae sint turbati per mendacia.*

30. *Et, cum, Domine, sanaveris meum
corpus & purificaveris meam animam,
placeat Tibi, ut vigilans & dormiens &
somnia mea anima sit in veritate, ut
veritas eam faciat laudare & amare & ho-
norare Te & servire Tibi; & adeò me
faciat veritas amare Te, quòd me faciat
mori memorando tuam Veritatem Di-
vinam.*

CAPUT XXIV.

QUOMODO OPERA DEI SINT in Veritate.

1. **O** *DEVS* laudate, magnificate & honorate! Benedictus sis, & tua Veritas ametur & laudetur & honoretur & timeatur semper. Nam, quia omnia, quæ creasti & fecisti, creasti & fecisti cum vera intentione, propterea convenit, quòd omnia sint creata & facta secundum Veritatem, & sint ad laudem & honorem tuæ Veritatis.

2. *O Domine!* Quia creasti creaturas ad laudandum Te & ad serviendum Tibi, propterea significatur, quòd secundum magnam Veritatem creaveris omnia, & quòd omnia, quæ fecisti, sint in Veritate, & sint facta à Veritate; nam sic est ratio & iustitia, *Domine*, quòd creaveris & feceris omnia, ut cognoscaris bonus sinè ullo defectu.

3. *Amorose Domine!* Si omnia tua opera sunt vera, non est ita de nostris; nam,
quia

quia facimus id, quod facimus, cā intentione, ut honoremur & amemur in hoc mundo à gentibus, ideo falsificantur & corrumpuntur nostra opera, & recedunt à Veritate, cū stet in falsitate, quòd nos laudemur & amemur, quia non sumus digni; quapropter intentio & opera sunt falsa in hoc, quòd velimus dare honorem, cui non debet dari.

4. b. *O vere DEVS, perfecte in omnibus virtutibus!* Tu, *Domine*, sanctificeris & adoreris & invoceris; nam omne, quod facis, fit secundum cursum Veritatis, qui non potest cogi nec constringi nec extrahi de sua natura nec de sua virtute; quoniam est tam magna Veritas in Te & in omni, quod facis, quòd nihil sit, quod possit tua opera extrahere de cursu Veritatis: unde laudetur & benedicatur Natura & Proprietas tuæ Veritatis; nam non est similis cursui nostræ naturæ, quam cogis & constringis, quandocunque vis; quia de falsitate nos facis mutari in Veritatem.

5. Tua Veritas, *Domine*, est tam vera in omni, quod vis, quòd non sit ullus lapis

lapis pretiosus, quantumcunque purus in sua natura, tam purus, sicut tua Veritas est vera in omni, quod facis & dicis.

6. Honorem & reverentiam faciamus, *Domine*, tuæ benedictæ Veritati; quia ipsa est tam altæ & nobilis Naturæ, quòd nunquam moveatur de suo *esse*, nec est aliquid potens ei resistere, nec eam mutare & alterare in falsitatem; & nostræ veritati cognoscamus fragilitatem & corruptionem, quia faciliter mutatur in falsitatem.

7. c. Tibi, *Domine DEVS*, qui scis omnia & quidquid faciamus & dicamus, demus Gloriam & Virtutem & Potestatem; quia tua opera sunt tam vera in omni, quod fecisti & facies, quòd nihil sit in *esse* potens tua opera deviare à Veritate; imò per tuam Veritatem sunt vera omnia, quæ sunt in Veritate.

8. *Gloriose Domine!* Cùm ego sim de creaturis, quas creasti & recreasti, placeat Tibi me dirigere in Veritate taliter, quòd sim servus Veritatis, & nihil aliud

aliud sit in me, nisi tua Veritas & recordatio Tuû & applicatio ad tuam laudem & honorem.

9. *Liber Rex plene omni Veritate!* Cùm Tibi placuerit, quòd dixerim vera verba de Te in hoc Opere per tuam gratiam & per tuum adiutorium, precor Te, *Domine*, ut Tibi placeat, quòd faciam ea, quæ dico; quia valde magna verecundia debet esse in homine, si sua verba sequantur viam Veritatis, & sua opera sint contraria Veritati.

10. d. *Pie Domine, plene Gratiâ!* Tua opera non possent esse in majori Veritate, quàm sint, quia non habes ullum defectum Veritatis; imò multitudo gloriosæ Veritatis fecit Te incarnari & mori, ut nos reduceres ad Veritatem, de qua exiveramus.

11. *V.* Igitur, *Domine*, cùm vis Veritatis Te fecerit humiliare ad assumendum humanam carnem, & ad sustinendum ignominias & tormenta & mortem pro amore nostrî, quænam falsitas est, quæ Te posset deviare à Veritate, & Te posset inclinare ad falsitatem?

12. Nobilitas & Paternitas & Charitas cognoscatur, *Domine*, esse in tua Veritate, quæ nobis dedit Crucem, ut nobis significet, quòd sis totus Veritas, & omne, quod facis, sit Veritas; nam, qui veraciter respicit in Crucem, & contemplatur in ea, veraciter potest percipere in tuis Operibus non esse ullam falsitatem.

13. c. *Liber Rex, affabilis, plene omni Doctrinâ!* In nullam rem, quam feceris & dixeris, intravit ullo tempore fraus nec falsitas; quia es tanta Veritas, quòd nulla fraus nec ulla falsitas nec aliquod peccatum possit invenire viam nec femitam, per quam possit venire in Te nec à Te.

14. *O Domine!* Non est ita de Veritate, quæ est in operibus Regum & hominum vani-gloriosorum, sicut est de Veritate, quæ est in tuis Operibus; nam multoties fraudes & proditiones & falsitates in ipsis uniuntur, & in ipsis inveniunt vias & femitas, per quas ad ipsos perveniant; & ideo est in eis tanta falsitas, quòd sæpe non cognoscatur veritas
in illis

216 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
in illis rebus, quas dicunt aut faciunt.

15. Unde laudetur & benedicatur,
Domine, tua sancta Veritas & nostra sit
posita in oblivione; quia, sicut tua Ve-
ritas nos purgat, & vivificat, & mundat
à falsitate, sic nostra fugit & evanescit
in nostris operibus & in nostris dictis
propter res viles & vanas & parvæ utili-
tatis, quas facimus.

16. f. *Rex Regum, & Pater Patrum, &
Domine Dominorum!* Sicut Opera, quæ
facis, sunt majoris Veritatis, quàm ulla
alia opera, quæ homo facit; ita opera,
quæ faciunt Reges vani-gloriosi, sunt
majoris falsitatis & vilitatis, quàm ulla,
quæ alii homines faciunt.

17. Et hoc est, *Domine*, quia sicut
facis id, quod facis, ut Te ament & lau-
dent & Tibi serviant gentes, ita Reges
vani-gloriosi ferè omne id, quod faciunt,
faciunt, ut homines loquantur de laudi-
bus & honoribus & honorificentis eo-
rum, & non tractent aliud, nisi dare lau-
des de ipsis, & obedire voluntatibus eo-
rum.

18. Sicut nullus homo, *Domine*,
pos-

posset sufficere ad intelligendum Magnitudinem tuæ Veritatis, ita nullus posset æstimare falsitatem, quæ est in operibus Regum & Principum vani-gloriosorum; quia illi sunt adeò pleni vanitatibus & vanâ gloriâ referti, quòd videatur eis gentes non debere aliud facere nec dicere, nisi dare laudes de ipsis: unde valde magnum mirum est, quòd omnes populi sint creati ad dandum honorem & laudem de Te, & tales Reges & Principes putent non esse creatos ad aliud, nisi ad loquendum de eis & ad laudandum ipsos.

19. g. *Sapiens Domine, dulcis, suavis, sancte!* Benedictio & amor & servitium sit Tibi; Nam tua Veritas est valde magnæ Virtutis & Nobilitatis; quoniam, quidquid velis facere, facis, & omne pervenit ad illam perfectionem, quam Tu vis; nam omnia debent venire ad finem, quem intendis: igitur quodnam opus potest esse in tam magna Veritate, sicut tuum?

20. Non est ita, *Domine*, de veritate, quæ est in nostris operibus; nam multa
volu-

volumus deducere ad perfectionem, ad quam non pervenimus ratione defectûs, qui est in nobis & in nostra potestate.

21. Nostra opera, *Domine*, sunt tam vana & tam parvæ veritatis, quòd plurimi homines, qui putant pervenire ad id, quod proponunt, illuc non perveniunt, quia eis deficit adiutorium vel potestas vel scientia ad deducendum illud ad perfectionem: igitur, quænam vanitas est major, quam nostra, qui habemus spem perficiendi rem, ad quam nobis non sufficit fortitudo nec tempus?

22. h. *Domine sancte, singularis, sine pari & socio!* In quantum tuum Opus est majus in creaturis, in tantum est virtuosior & major & melior tua Veritas in eo; & in quantum ipsa est major & melior, in tantum est verior & firmior.

23. *Desiderate Rex Glorie!* Quòd plura & majora sunt nostra opera, eò minus veritatis invenitur in eis; nam quòd plura facimus, eò plùs crescit falsitas in eis ratione falsæ intentionis, quam habemus in hoc, quòd ferè omne, quod facimus, faciamus aut propter necessita-

tem

tem & indigentiam, aut propter vanam gloriam, & vix faciamus aliquid verâ intentione & pro amore Tuî.

24. *Humilis Domine!* Quoniam mea opera fuerunt in tanta falsitate, imposterum conabor, quòd sint in Veritate, & amabo & honorabo Te & serviam Tibi verâ intentione, & peto à Te misericordiam, ut ex nunc omne, quod faciam & dicam, sit in Veritate.

25. i. *Nobilis Domine, alte super omnes nobilitates, nobilis super omnes altitudines!* Omnis Gloria & omnis Bonitas cognoscatur esse in tua Veritate; quia nihil facis frustra nec sinè ratione, sed, quidquid facis, est secundum Veritatem & rationem. *O Domine!* Non est ita de me, quia ferè omne, quod feci, feci sinè ratione & sinè Veritate.

26. Qui volet videre & probare, utrùm ea, quæ nos facimus, sint vana & extra Veritatem, intret, *Domine*, nostras domos, & aspiciat, quomodo comedamus, & bibamus, & calceemur, & vestiamur, & jaceamus.

27. Nam tunc poterit percipere nos esse

esse totos vanos in operibus & in verbis
& in voluntatibus; veruntamen, *Domine*,
licet omnes simus vani & extra Verita-
tem, quis est, qui possit hoc percipere,
cum omnes simus ferè ejusdem con-
ditionis?

28. k. *Domine, qui sustines omne quod
est!* Bene scis, quod Veritas non possit
esse in me, quin amem Te plus, quàm
me, & plus, quàm ullam aliam rem;
quoniam res, quæ me deviant à Verita-
te, sunt amores, quos habeo erga me vel
erga alias res, majores, quàm amor,
quem habeo erga Te.

29. *O Domine!* Quousque vadam
proclamando per plateas tuam Verita-
tem, & falsitatem, quæ est in nobis, non
videbitur mihi, quod sim in Veritate.

30. Sed, si possim pervenire ad hoc,
ut sim tuus præco in Veritate, tunc me
reputabo, *Domine*, verum in omnibus
meis factis, & maximè, si mihi facias
tantam gratiam, quòd Veritas me
faciat mori pro Te, qui es
totus in Veritate

Divina.

CAPUT XXV.

*QUOMODO DEVS VOLVERIT,
quòd Veritas sit via Salvationis.*

1. **O** *DEVS* laudate, magnificate, amate & time! Tu es vera Veritas in omnibus tuis Operibus, & in tota tua Effentia nihil aliud est, nisi Veritas; & quia, *Domine*, es Veritas, vis, quòd Veritas sit via & semita, per quam homo pervenit ad Te; nam non esset conveniens Te esse Veritatem, & vias, per quas pervenitur ad tuam Gloriam, esse extra Veritatem.

2. Unde cùm proprium sit Veritati, *Domine*, Te esse unum in Trinitate, & trinum in Unitate; & cùm sis unus **DEUS** Creator omnium & justus super omnia, convenit, quòd via, per quam homo pervenit ad Te, sit credentia vera & non contraria Veritati.

3. Sicut, *Domine*, es Veritas, & viæ, per quas homo vadit ad Te, sunt veræ; ita convenit, quòd illi, qui vadunt per
illas

222 . *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
illas vias, sint homines veraces in suis
verbis & in suis operibus.

4. b. *O Domine, Rex Gloria!* Verum est
Te esse incarnatum & natum & tormen-
tatum & mortuum & resuscitatum, & Te
ascendisse ad Gloriam.

5. Unde, cum omnia ista sint vera,
convenit, *Domine*, quod credere ista sit
via Veritatis, per quam homo perveniat
ad Te.

6. Tibi, *Domine DEVS*, cognoscatur
omnis Bonitas & omnis Veritas, quia
ordinasti quod via, per quam homo va-
dit ad Te, sit honoratior & melior via,
quam omnes aliae; & voluisti, quod, si-
cut via Salvationis est melior via, ita me-
lius opus, quod possit esse, sit dirigere ad
viam Veritatis, errantes ab ipsa.

7. c. *Domine DEVS, qui respicis homi-
nes peccatores oculis Misericordiae!* Ama-
tus & sanctificatus & adoratus sis; quia
propter Nobilitatem, quæ est in Veri-
tate tuæ Incarnationis & Passionis, vo-
luisti, quod ipsa denuntiaretur per An-
gelos & Archangelos & Patriarchas &
Prophetas.

8. Magnitudo & Altitudo & Honor cognoscatur, *Domine*, tuæ Veritati; quia, quando dedisti legem Moyfi, incepisti ponere hominem in via Salvationis; &, quando nobis dedisti novam Legem, perfecisti viam Veritatis, per quam homo perveniret ad Te.

9. *Amabilis Domine, plene Gratiâ!* Quoniam constituisti Veritatem esse viam Salvationis, precor Te, ut me facias credere Veritatem, & me facias esse servum ipsius omnibus meis diebus.

10. d. *Gratiosè Domine, sine ullo defectu!* Benedictus sis, quia adeò es Amator Veritatis, quòd propter magnum placitum, quod invenis in Veritate, velis nos confiteri veritatem nostrorum peccatorum.

11. Et ratio, quare adeò Tibi placet, quòd confiteamur veritatem Pastoribus, quos nobis dedisti, est, ut dicendo veritatem dicamus nostras miserias & nostras fragilitates, & confiteamur & fateamur magnas Nobilitates & Virtutes, quæ sunt in tua Deitate.

12. *Etiam, Domine, Tibi placet,*
quòd

quòd homines confiteantur Veritatem ad invicem, ut Veritas eos purget & emundet à falsitate, & faciat eos esse purificatos.

13. e. *O Domine DEVS, virtuose in Essentia, perfecte in omnibus tuis factis!* Omnes debemus Te amare & honorare, & Tibi gratias agere, quia ordinasti viam Salvationis promissionibus gloriæ, & satisfactione, quam faciamus pro injuriis, quas fecimus.

14. Adeò amas, *Domine*, omne id, quod est ad utilitatem & meliorationem nostram, quòd ut plus valeamus velis nos laudare & amare Te, & velis nos satisfacere pro injuriis, si quas fecimus.

15. Unde lauderis & benedicaris, *Domine DEVS*; quia amare & honorare & timere Te, & servire Tibi, est res valde justa & vera, & etiam satisfacere pro injuriis, est res valde justa & vera: unde benedictus sis, qui vis, quòd omnia ista sint via Salvationis.

16. f. *Domine immortalis sinè principio & sinè fine!* Tu vis, quòd aperiamus no-

stra

tra corda & nostra ora Veritati, & totus noster intellectus sit plenus Veritate, ut omnes nostras vires impendamus in amando & honorando Te, & serviendo Tibi.

17. Quamvis non simus tam magnæ potestatis, quòd possimus amare Te, *Domine*, & servire Tibi secundùm quod pertineret ad Te, tamen hoc suscipis, sicut, si Te amaremus, & Tibi serviremus secundùm quod pertineret ad Te; quia sufficit Tibi, quòd impendamus omnem nostram potestatem in amando Te, & serviendo Tibi, cum non exigas à nobis ultra posse.

18. *O Domine!* Amatus & laudatus sis; quia secundùm ordinationem, in qua nos posuisti, probatur Te ordinasse viam Salvationis in magna ordinatione.

19. g. *Domine vere DEVS, qui visitas & consolaris Catholicos!* Honoratus & rogatus & cultus & benedictus sis Tu, qui posuisti in majori beatitudine homines, qui iiverunt per viam Veritatis; quia majus donum, quod homo possit recipere, est donum veræ viæ; quoniam per

P

illud

illud pervenit ad tuam Gloriam.

20. *Pie Domine!* Valde nobilitasti & exaltasti viam Salvationis in hoc, quòd ad dandum ipsam volueris esse homo & ignominiari & tormentari & mori.

21. Quis posset aestimare, *Domine*, Magnitudinem & Nobilitatem vere vię, cùm homo per illam perveniat ad infinitam Gloriam, & liberetur ab infinitis pœnis?

22. h. *O Domine DEVS, une in Trinitate!* Gloria & Libertas cognoscatur Tibi, qui adeò divisisti & distinxisti inter benedictos euntes per veram viam, & maledictos existentes extra Veritatem; nam, qui vadunt per viam Veritatis, sunt in tam bono statu, quòd non possent esse in meliori; & qui vadunt per viam erroris, sunt in tam malo statu, quòd non possent esse in pejori.

23. *Lætetur, Domine,* & confortemur in tuo Valore & in tuo Dominio & in tua Veritate; quia, quando cogitamus & perpendimus vanitates hujus mundi pleni falsitate, tua Veritas clamat nobis & vocat nos in nostris cordibus, & dicit,

dicit, quòd veniamus ad Te per Veritatem, & contemplemur in Te.

24. ²² Animosè & devotè peto à Te
²³ gratiam, *Domine DEVS*, ut benedicas
²⁴ meum patrem & meam matrem, quia
²⁵ genuerunt me credentes in viam Veritatis; & precor Te, ut des tuam gratiam patrinis, qui tenuerunt me ad fontem baptismatis confitentes pro me Veritatem; & precor Te, ut benedicas Sacerdotem, qui me baptizavit, & omnes illos, qui adfuerunt & adjuverunt in meo baptismo, quia omnes fuerunt occasio mei introitus in veram viam.

25. i. *O gloriosa Trinitas in Vnitate!*
Si hoc temporale sæculum est vile & perversum & plenum spurcitiis & immunditiis, non miror, quia in eo sunt plures viæ, per quas homo intrat in falsitatem, quàm sint viæ, per quas peruenit ad Veritatem.

26. Veruntamen, *Domine*, quamvis viæ falsæ & malæ sint in majori quantitate numeri, quàm veræ viæ, tamen non sequitur, quòd falsitas plus valeat in hoc

mup-

228 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mundo, quàm Veritas, quia valor & virtus non iudicatur secundùm magnitudinem numeri, sed secundùm magnitudinem Virtutis & Bonitatis.

27. *O humilis Domine!* Quamvis tuus fervus usque modò magis amaverit falsitatem, quàm Veritatem, tamen non cessat Te precari, ut ipsum extrahas à falsa via & à falsa intentione, & introducas in veram viam & in veram intentionem.

28. k. *O Domine singularis in Esse divino!* Valde miror de hominibus, qui sunt in vera via, quomodo possit esse, quòd postquam receperunt donum veræ viæ, non conentur adjuvare ad veram viam homines, qui sunt extra Veritatem.

29. Quotidie videmus homines, qui sunt in Veritate, mori, quin admoneant & prædicent infidelibus, ut veniant ad Veritatem; & quamvis Catholici sciant Veritatem, in qua sunt, & errorem, in quo sunt infideles, tamen non curant ostendere Veritatem infidelibus, nisi tam parum, sicut si non cognoscerent

suam Veritatem nec falsitatem infidelium.

30 *O Dominus meus & DEVS meus!*
Si Tibi placeret, quòd tuus servus iret per plateas & per vias & per Villas & Oppida clamando tuam Veritatem, & falsitatem injustorum, & non haberet timorem à fame & siti, nec à morte, tunc cognosceret se esse memoratum in Misericordia sui Domini DEI.

CAPUT XXVI.

*QUOMODO VIVERE IN GLORIA
sit vera Vita.*

1. **D***EV S Pater sciens omnia!* Benedictus sis Tu & benedicta sit tua Veritas; quia nostra vita in altero saeculo est vera vita in hoc, quòd videre Te sit vivere in Gloria; & vita, quam habemus in hoc saeculo, non est vera vita, cùm comedere & bibere non faciant aliud in homine, nisi conservare corpus & animam insimul.

2. *Amorose Domine!* Cùm hac tempora-

poralis vita sit amabilis, quamvis sit accidentalis, quantò magis vita Gloriæ cœlestis debet esse amabilis? unde, in quantum est plus amabilis vita cœlestis, quàm temporalis, in tantum est plus vera illa, quàm ista.

3. Igitur, *Domine*, gloria & laus & benedictio cognoscatur Tibi, quia es fons & flumen, ex quo nascitur & derivatur omnis Veritas, & omnia viventia recipiunt à Te vitam.

4. b. *Domine vere, Amator omnium bonorum!* Tu scis, quòd vera vita veniat à Te, & stet in Te, quia vera vita nihil est aliud, quàm videre Te, & glorificari in Te.

5. *Gloriose Domine!* Vita mundana multum dissimilatur Vitæ tuæ Gloriæ; quia Vita Gloriæ est finè fine, & nulla corruptio nec mutatio est in ea; sed vita hujus mundi, quandoque est in ploratu, quandoque in dolore, quandoque in infirmitate & quandoque in corruptione & destructione.

6. *Laudate Domine, benedicite!* Cùm in Paradiso sit vera vita, & in hoc mun-

do vita hominis sit vana, beati sunt iusti viventes in Paradiso; sed homines mundani viventes in hoc mundo nondum pervenerunt ad illam beatitudinem.

7. c. *Honorate Domine, Consolator noster!* Tam vera est vita Gloriæ, quòd nullum dubium nec ulla falsitas debeat accedere ad eam; & tam vana & fragilis est hæc vita sæculi, quòd tota sit plena dubiis & falsis opinionibus: unde secundum hoc Veritas vitæ est in tua Gloria & falsitas vitæ est in hoc sæculo.

8. Unde, sicut vita, quæ est in Paradiso, *Domine*, est verior Vita, quæ esse possit, quia ibi existentes vivificantur à Te, qui es verior res, quæ esse possit, sic vita hujus mundi est vana, quia hinc existentes vivificantur à vanis rebus & delectationibus.

9. Qui vivunt in Gloria, *Domine*, continuò vivunt, & infinitè vivent, quia finè ulla cessatione vident Te, & visio, quam habent in Te, non habebit finem; & qui vivunt in hoc mundo, continuò mutantur, quia sæpe mutatur & alteratur id, de quo capiunt vitam; & prop-
terea

terea cœlestis Gloria est vera vita, & hic mundus est vana vita.

10. d. *Affabilis Domine, honorate, sanctificate!* Bene scis, quòd euntes vivere in vera Vita, sint læti, & sint amatores & laudatores sui Creatoris & sui Salvatoris sinè ulla cessatione.

11. Et mundani homines, *Domine*, viventes in hoc mundo, non vivunt læti verâ lætitiâ, nec vivunt inamorati vero amore, nec dant veras laudes de rebus, quas laudant; & ideo non est mirum, si sua vita non sit vera.

12. *Vere Pater, & vere Domine!* Quia cœlestis Gloria est vera Vita, convenit nobis eam desiderare super omnia alia desideria; &, quia hæc mundana vita non est vera vita, convenit eam parùm appetiari.

13. e. *Amorose Domine, pie, plene Gratiâ!* Convenit, quòd volentes capere veram vitam in Te, sibi congregent veras cogitationes & veros amores & vera opera; nam, quia ista sunt vera, convenit per ea hominem pervenire ad veram Vitam.

Et

14. Et non oportet, *Domine*, quòd homines volentes vivere in falsitate in hoc mundo, aliud faciant, quàm cogitare in vanis delectationibus, & esse amatores transitoriorum placitorum.

15. *O Pater Domine!* Homines viventes in vanis delectationibus, quò plus congregant de bonis temporalibus, eò plus videtur eis, quòd verè vivant, & inde plus prolongetur sua vita; sed est oppositum suæ cogitationis; quia, quò plures divitias & delectationes habent in hoc sæculo, eò majorem occasionem habent moriendi morte perdurabili.

16. f. *Æterne Rex Gloria!* Multoties tantùm amavi hanc mundanam vitam, quòd videretur mihi ipsam esse veram vitam; sed nunc, cùm videam divites homines depauperari & lantos contristari & sanos infirmari & vivos mori, cognosco vitam hujus mundi non esse veram vitam; quapropter imposterùm non dicam, quòd vita mundana sit vita, sed potius mors tædiofa.

17. Nam video, quòd, qui hìc vivunt, postquam sint mortui, ponantur

sub

sub terra ; & video , quòd consumantur
sua ossa & suæ carnes , & quòd non po-
ssideant divitias, quas possidebant; & vi-
deo , quòd huc non redeant , & sint in
oblivione ferè omnium: igitur, *Domine*,
cùm vita hujus mundi sit in tali statu,
bene fatuus est , qui talem vitam con-
cupiscit & amat.

18. Mirabiliter videtur mihi hæc vi-
ta mundana res vana & parvæ Veritatis,
quantum ad se ipsam ; quia in uno mo-
mento est homo vivus , & in alio mor-
tuus : unde benedictus sis, *Domine* , quia
in vita hujus mundi non video aliam
Veritatem , nisi quòd ipsa sit via , per
quam homo pervenit ad veram vitam,
dummodo sit inamoratus de tua Glo-
ria.

19. g. *Affabilis Domine !* Dominium
& Nobilitas & Honor cognoscatur esse
in Te & in omni , quod tuum est ; nam,
quia nobis es invisibilis in hoc mundo,
hæc vita mundana est magis propinqua
morti , quàm vitæ ; & propterea habe-
mus in hoc mundo plus laboris , quàm
quietis , & plus doloris , quàm gaudii ;
quare

quare non miror, quòd temporalis vita fit vana.

20. Quoniam ita est, quòd homo, *Domine*, habeat in hoc mundo plura mala, quàm bona, convenit, quòd homo in eo plùs moriatur, quàm vivat: unde propterea, qui plùs manent in hoc mundo, plùs moriuntur, & qui minùs in eo manent, minùs moriuntur.

21. Benedictus sis, *Domine DEVS*; nam respectu temporis, quo anima est finè corpore, postquam ab eo est separata, fatùs breve est tempus, quo fuit cum corpore in hoc mundo: unde, cùm tempus sit tam breve, conjunctio amborum non debet multùm desiderari in hoc sæculo.

22. h. *O vere Domine, plene Misericordiâ!* Tu lauderis & ameris & Tibi agantur gratiæ; quia ratione magnæ falsitatis, quæ est in hac præfenti vita, voluisti esse Homo, & voluisti mori pro nobis, ut tolleres pestilentiam à natura humana, quæ in eam ceciderat per peccatum & per defectum Veritatis.

23. *Suavis Domine, plene Gratiâ!*

Longum est tempus, quo vixi in falsitate & in morte; nam, quamdiu vixi in peccato, tamdiu fui in falsitate & in morte.

24. Tunc falsò vivebam, quando meum cor sciebat Veritatem, & meum os negabat eam, & dicebat contrarium; igitur, *Domine*, non eram vivus, imò eram mortuus, quia meum os me occidebat.

25. i. Quis posset cogitare & æstimare, *Domine DEVS*, falsitatem & fraudem, quæ est in hac temporali vita? Nam si alia falsitas non esset in ea, nisi ista, quòd plerique homines Te ament cum falsa intentione, adhuc esset nimis magna nostra falsitas.

26. Tam pleni sumus, *Domine*, & referti falsâ intentione, quòd videatur nobis causam, propter quam venimus in hunc mundum, non esse aliam, nisi ut comedamus & bibamus & vestiamur & delectemur & quiescamus.

27. Igitur, *Domine*, quænam vita potest esse in majori falsitate, quàm nostra? quia nos creasti & recreasti, ut

cre-

credamus & cognoscamus Te esse bonum, & nos putamus, quòd venerimus in esse, ut habeamus vanas delectationes, & videamur esse boni.

28. k. *Suavis Domine, humilis, pie, amabilis!* In tam magna quantitate est fraus & falsitas hujus præsentis vitæ miseræ, quòd per omnia loca planitierum & montium falsitas se expanderet, & vadat super omnes homines, sicut aqua diluvii ibat super omnia animalia & super omnia vegetabilia.

29. Nam tanta est inter nos falsitas & proditio, & tam modica veritas & legalitas, quòd parum desit, quòd Veritas pereat & deleatur in totum: Unde *laudatus & benedictus sis Domine DEVS;* quia, si in hoc mundo falsa vita est in majori quantitate, quàm vera, in alio erit vera vita in tam magna Nobilitate, quòd nulla falsitas poterit eam obcæcare nec superare præ magnitudine.

30. Unde tuus servus, *Domine DEVS,* Te adorat & Tibi gratias agit; quia ei dedisti gratiam ducendi ad finem illam Distinctionem, & confidit in Te, quòd ipsum

238 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ipsum adjuvabis ad ducendum ad finem
alias Distinctiones futuras ad honorem
Tui, qui es suus Dominus DEUS.

DISTINCTIO IX.

DE DIVINA BONITATE.

CAPUT XXVII.

*QUOMODO DIVINA ESSENTIA
sit suprema Bonitas.*

1. **O** *DEVS Pater, Domine nobilis su-*
a. per omnes nobilitates! Tam mag-
na & alta est tua Bonitas, quòd nobis
non sufficiat intellectus nec ratio nec
imaginatio ad percipiendum Altitudi-
nem & Nobilitatem ipsius.

2. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui
in nobis posuisti potentiam imaginati-
vam, ut habeamus cognitionem de re-
bus sentitis, quando sunt nobis absentes;
quia, nisi foret imaginativa, non posse-
mus eas cognoscere, quando essent no-
bis absentes; &, si de illis non habere-
mus

mus cognitionem, non possemus eam habere de rebus spiritualibus.

3. Quando potentia imaginativa deficit ad imaginandum magnam Nobilitatem tuæ Essentiæ, *Domine*, convenit, quòd recurramus ad potentiam rationalem, quæ cognoscit Te esse meliorem & nobiliorem, quàm homo possit imaginari & intelligere, & per ipsam confiteamur & fateamur, tuam Bonitatem esse in majori Excellentia & Nobilitate Virtutis, quàm possimus figurare & imaginari: unde propterea recurrimus ad potentiam affectivam & laudamus & benedicimus tuam sanctam Bonitatem.

4. b. *Affabilis Rex Gloria, plene omnidulcedine & pietate!* Cùm intelligamus, tuam Bonitatem esse infinitam, æternam & omnipotentem, propterea scimus, quòd non sit ulla alia Bonitas æstimabilis nec comparabilis tuæ Bonitati.

5. Nam, cùm Tu, *Domine*, sis infinitus & æternus & omnipotens, & sit impossibile esse alium infinitum, æternum & omnipotentem, per hoc intelligitur, quòd nulla res possit æquari Tibi in Bonitate.

6. O Domine! Sanctitas & Gloria & Laus cognoscatur tua Bonitati, quæ est adeò magna in Nobilitate, quòd, quamvis homo non mereatur gratiam per se, det ei gratiam & benedictionem; & pro parva re, quam homo facit pro amore Tuû, recipit magna dona & magna bona à tua Bonitate.

7. c. Tua Bonitas, Domine DEVS, est adeò magna & nobilis, quòd non solum non habeas parem in Bonitate, sed nec in suo contrario, quia es tam dignus essendi suprema Bonitas, quòd nulla res possit esse tanta in malitia, quantus es Tu in Bonitate.

8. Nam nihil est, Domine, quantumcunque malum & vile, quòd sua malitia sit æterna & infinita & omnipotens in faciendo malum; & tua Bonitas est infinita & æterna & omnipotens in faciendo bonum.

9. Amoroſe Domine, plene Gratiâ! Cùm non habeas parem nec æqualem, & tua Bonitas sit major, quàm mea malitia, quamvis ista sit valde magna, precor Te, ut Tibi placeat, quòd tua mag-

na Bonitas ejiciat à me omnem malitiam & iniquitatem.

10. d. *Tua suprema Bonitas, Domine DEVS, est adeò magnæ Fortitudinis & altæ Naturæ & magnæ Nobilitatis, quòd sua Dignitas sit tanta, quòd nulla bona sint in esse per se ipsa, nec per aliud, nisi per Te, nec sint propter se ipsa, sed solum propter Te, & ut tua Bonitas cognoscatur.*

11. *Unde benedicta sit, Domine, talis Bonitas, qualis est tua, quoniam ipsa habet talem Virtutem & Proprietatem, quòd omnia bona devenerint ab ea, & omnia sint ad laudem ipsius.*

12. *Liber Rex Gloria! Quoniam tuâ Bonitas est fons, à quo derivantur omnia bona & omnes utilitates, quæ possint esse, & mea malitia est fons, à quo derivantur omnia mala & peccata, quæ sunt in me; precor Te, Domine, ut tua Bonitas exsiccet & obstruat fontem, qui est in me, à quo derivantur omnes mei errores & omnes meæ malignitates.*

13. e. *Quis est, Domine, qui posset invenire*

Q

venire aliquid, quod valeat Te? nam, non sunt divitiæ nec oppida nec castella, nec ullæ res viventes nec non viventes, quæ tantum valeant, quantum Tu vales; quoniam quæcunque bonitates sint, sunt finitæ, exceptâ tuâ; & quæcunque bona sint in hoc mundo, possidentur cum laboribus, quantumcunque bona sint; & tua Bonitas est in Te, & Tu in ea sinè ullo labore & sinè ulla passione.

14. *Benigne Domine!* Quoniam es supremum Bonum, & omnia alia bona sunt sub Te, dicam mihi ipsi & aliis hominibus mihi similibus in peccatis, ut, quando volent peccare, faciant comparisonem, quidnam plus valeat, an tua Bonitas, an vero res, in quibus volunt uti peccato?

15. Et hoc dicam mihi & illis, quia, si faciamus talem comparisonem, statim percipiemus nostram stultitiam & nostram insaniam; & videbimus, *Domine*, in tua Bonitate omnem Perfectionem Virtutum, & in nostra miseria omnem defectum virtutum & omnem congregationem vitiorum.

16. f. Tu, *Domine DEVS*, es tam abundans in Bonitate, quòd nihil sit, quantumcunque clarum & purum, quòd sit tam purum in sua natura, sicut tua Essentia est simplex & pura in Bonitate; & nihil est adeò intermixtum & turbidum in fæditate, sicut nostra bonitas in deformitate & malitia; nam impossibile est ad tuam Bonitatem accedere ullam turpitudinem, nec ullam malitiam.

17. Adeò remota est à Te malitia & turpitudine peccati, *Domine*, quòd, antequam tempus esset, & nunc, quando tempus est, & postea, quando tempus non erit, Tibi fuerit & sit & erit proprium pura Bonitas sinè conjunctione ullius mali.

18. Igitur, *Domine*, quoniam es adeò bonus, & tantùm vales, convenit, quòd tuæ Bonitati attribuamus omnem Virtutem & omnem Nobilitatem & omnem Dignitatem, & nobis omnem vilitatem & omnem miseriam, quia tua Bonitas semper permanet in uno statu sinè ulla mutatione; sed nostra bonitas

quandoque mutatur in malum, quandoque in bonum ita, quòd manè surgamus cum bona voluntate & bona intentione, & vespere erimus mutati in malam voluntatem & intentionem.

19. g. In tua magna Bonitate, *Domine DEVS*, non potest homo invenire principium nec finem; nec, si spatium, quod est inter faciem terræ usque ad cœlum, esset plenum hominibus cogitantibus in tua Bonitate, & dicentibus de Te omnes laudes, quas possent dicere, & auscultantibus omnes laudes, quas possent audire, omnes non possent tantum boni cogitare, nec audire, nec loqui, quantum est in Te; quia omne bonum, quod viderent & cogitarent & audirent, haberet finem, & tua Bonitas est sine fine.

20. *Recognoscens Domine!* Tua Bonitas ametur & laudetur & honoretur, & ipsi serviatur per omnia tempora; quia per eam omnia bona hujus mundi venerunt in *esse*, & per eam crescunt & multiplicantur; & ut ipsa cognoscatur, venerunt accidentaliter omnia

mala, quin ipsa propter hoc debeat inculpari.

21. *g* Sicut tua Bonitas, *Domine*, est tota bona, ita convenit, quòd ei attribuamus omne bonum; & convenit, quòd eam cognoscamus sinè omni defectu & sinè omni malitia, & eam amemus ex omnibus nostris viribus.

22. *h* Tam magna est, *Domine DEVS*, tua Bonitas, quòd, si omnia individua hujus mundi congregarentur in uno loco, omnis bonitas & omnis malitia, quæ esset in eis, non esset tanta, quanta est tua Bonitas.

23. *g* Nec adhuc tanta bonitas posset esse, *Domine*, in illis, quòd posset addere tuæ Bonitati unum punctum, nec tanta malitia posset esse in illis, quòd posset minuere in Te unum punctum Bonitatis.

24. *g* Cùm tua Bonitas, *Domine DEVS*, sit tanta & tam magna, bona dies, & beatitudo erit illis, qui possidebunt eam; & vœ, & labores & dolores erunt illis, qui erunt privati ipsâ.

25. *i* Lætetur & confortetur, *Domine*,

mine DEVS, in tua Bonitate & in omni, quod tuum est; quia es tam bonus, quòd omnes homines volentes habere Virtutem & Nobilitatem & Bonitatem ideo velint eam, quia cognoscunt Te esse bonum, & amant Te tanquam bonum, & omnes homines cadentes de bonitate in malum & peccatum ideò cadant, quia obliviscuntur, & discognoscunt tuam Bonitatem.

26. Valde miror, *Domine*, de Regibus, & de aliis hominibus vani-gloriosis, quomodo possit esse, quòd tam fortiter intendant die & nocte laudari à suis subditis, & quomodo possint adeò oblivisci tuæ Bonitatis & habere in memoria suam; cum sua respectu tuæ Bonitatis sit, sicut una gutta aquæ, & minus adhuc, respectu maris & omnium aquarum.

27. Super omnia mirabilia, *Domine*, est, quòd propter parum boni, quod est in nobis, velimus die & nocte laudari & memorari à gentibus, & tua magna Bonitas non sit in nostra memoria, sicut deberet, nam manifestâ ratione videtur,

rem

rem meliorem debere plùs in memoria haberi nocte & die, quàm rem fragilem & miseram.

28. *k.* *Gratioso Domine!* Benedicta sit tua Bonitas, quæ est adeò magna, quòd impleat domos & planities & montes & terras & maria & spatia de terra usque ad cœlos, & sit ultra firmamentum infinita.

29. *O vere Domine!* Magnum mirum est, quòd tua Bonitas sit adeò magna, quòd compleat omnia loca cœli & terræ, & in meo corde invenerit locum tanta malitia: quomodo potest esse, *Domine*, quòd malitia invenerit locum in me, cùm tua Bonitas sit tanta?

30. Istud accidit, *Domine*, ideo, quia tuus servus ignoravit & oblitus fuit tuæ Bonitatis, & amavit res viles & malas, propter quas fuit inobediens suo DEO.

CAPUT XXVIII.

*QUOMODO DEVS SIT BONVS
in suis Operibus.*

1. **O** *DEVS, Pater & Domine univer-*
sorum, quæ sunt! Tua magna
 Bonitas se manifestat in rebus, quas
 creasti & fecisti, scilicet in firmamento
 & in Angelis & in elementis & in vege-
 tabilibus & in metallis & in anima-
 libus.

2. In hoc, quòd nec Angeli nec dæ-
 mones nec homines nec ulla alia creatu-
 ra posset creare nec facere aliquid eo-
 rum, quæ creasti & fecisti, monstratur, *Do-*
mine, tuum Opus mirabile & magnæ No-
 bilitatis; quia, si omnes Angeli & dæmo-
 nes & homines se unirent & conarentur
 facere unum pedem formicæ, vel unum
 florem, omnes non possent talem facere.

3. *Domine DEVS!* Cùm tua Opera
 sint valde magnæ Nobilitatis & mirabi-
 litatis, manifestatur in eis magna Boni-
 tas, & ideo debemus esse amatores &

laudatores & servitores tuæ Bonitatis ex omni nostra potestate.

4. b. *Domine amate, honorate, volite, timite!* Ratio, quam expandisti per omnia, quæ creasti & fecisti, est vera Ratio, quia dedisti *esse* creaturis, ut tua Bonitas nominetur & cognoscatur & laudetur & benedicatur & memoretur.

5. Unde, quia, *Domine*, fecisti omnia, ut cognoscaris bonus, propterea vis, quòd illi sint boni, qui laborant in amando & honorando tuam Bonitatem, & in dando laudem de ea.

6. Igitur, *Domine*, quoniam facis id, quod facis, ut tua Bonitas cognoscatur in tuis Operibus, ideo tuus servus devotè Te precatur in præsentia tui sancti Altaris, & petit à Te, ut ei des gratiam cognoscendi & percipiendi tuam magnam Bonitatem in omnibus creaturis.

7. c. *Perfècte Domine, Rex Gloria!* Non est mirum, si Opera, quæ facis, sint bona, quia moventur & derivantur à tam magna Bonitate, quòd necessariò conveniat, ipsa esse bona.

Sicut

8. Sicut ratione Operum, quæ facis, debemus Tibi, *Domine*, attribuere omnem Nobilitatem & Dominium & Honorem; ita ratione vilitatis operum, quæ facimus, debemus nobis attribuere omnem vilitatem & fragilitatem & miseriam.

9. Si per tua Opera, *Domine*, Te monstres nobis bonum, non est mirum, quia ipsa sunt bona; & si nostra opera demonstrant nos viles, non est mirum, quia fumus mali, & ipsa sunt vilia.

10. d. *Recognoscens Domine, plene omni Veritate & Sapientia!* Mala & inordinationes, quæ evenerunt in hoc mundo, non evenerunt ratione defectûs, qui fit in tuo Opere, nec in tua Bonitate; sed evenerunt, ut sint subjecta, in quibus cognoscatur tua magna Bonitas.

11. *Placens Domine, amorose, gratiose!* Sicut movens non crescit nec minuitur in se ipso, quamvis det motum rei motæ; sic, quamvis des omnia bona, & omnia veniant à Te, non per hoc tua Bonitas crescit nec minuitur in se ipsa.

12. Motor non movet motum, *Domine*, ut crescat vel minuatur in sua Essentia; sed ut per motum cognoscatur, ipsum esse moventem: igitur per hoc potest homo intelligere, quòd Tu non opereris, ut inde sis melior, sed solùm, ut cognoscaris tanquam bonus & nobilis.

13. e. Multa sunt opera, per quæ possumus cognoscere, Te esse bonum, *Domine*; nam, sicut homo se intromittens in multas artes, oportet, quòd, quò plura opera faciet, eò plures defectus committat, ita per contrarium, quò plura sunt opera, quæ fecisti & facis, eò magis se monstrant perfecta in virtutibus & in nobilitatibus.

14. *O Domine!* Ista contrarietas contingit ratione defectûs nostræ bonitatis, & tuæ Perfectionis; quia sumus tam miseri, quòd non habeamus potestatem nec scientiam, faciendi multa opera insimul secundùm ordinationem & perfectionem; quapropter alia inordinantur per alia; sed de Te, *Domine*, non est ita, quia, quò plura & diversiora sunt
tua

252 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tua Opera, eò perfectiora sunt ; quoniam ad multò plura est sufficientissima tua Potestas & Sapientia.

15. Unde laudamus, & benedicimus Te, *Domine*, in omnibus tuis Operibus, & quò plura sunt, eò plùs Te amamus, & Tibi gratias agimus, & Te honoramus, & eò meliorem Te cognoscimus.

16. f. *O Liber Domine, humilis, & dulcis & suavis !* Cùm per istam modicam representationem, quam mihi faciunt res præsentès, percipiam tantam Bonitatem esse in Te, certè, si omnes res præteritæ & futuræ mihi essent præsentès, perciperem multò majorem tuam Bonitatem.

17. Sicut mihi non sufficit scientià nec intellectus ad percipiendum totam Bonitatem, quam habes in tua Essentia, *Domine*, ita, mihi non sufficit ad percipiendum totam Bonitatem, quam habes in tuis Operibus.

18. Quid mirum, *Domine*, si non possim percipere totam Bonitatem tuæ Essentiæ nec tui Operis, cùm non possim scire totam Bonitatem, quæ erit in uno

Con-

Confessore vel in uno Martyre? igitur, si in tali Bonitate deficit mihi cognitio, multò plùs mihi debet deficere ad percipiendum totam tuam Bonitatem.

19. g. *Excelsens Domine!* Benedictus sis Tu, & omnia, quæ creasti & fecisti, & quæ adhuc facies; quoniam adeò magna est Bonitas, quæ est in tuo Opere, quòd non capiatur tota in rebus præteritis nec in præsentibus; sed convenit, quod adhuc sint res futuræ, in quibus capiatur; ideo convenit, quòd adhuc facias multa bona, quæ nondum sunt facta, ut in eis capiatur id, quod non est captum in præteritis nec in præsentibus.

20. *Sicut arbor crescit in branchas & folia & flores & fructus secundum quod est sua natura, & si habeat sufficientiam aquæ, & in bona terra sit plantata, est melior & pulchrior; ita, Domine, adeò bonus Dominus es Tu, & adeò convenit tuum Opus esse bonum, quòd usque ad finem sæculi oporteat multiplicari in individuis humanis dona & gratias & scientias & virtutes; & propterea*

propterea multa nondum dedisti nec revelasti, quæ adhuc dabis & revelabis hominibus futuris.

21. Postquam mundus erit finitus, *Domine*, dabis gloriam justis hominibus in Paradiso; & quia non convenit, quòd tua dona cessent, quoniam tua Bonitas non potest vacare nec cessare, ideò conveniet, quòd illa Gloria sit finè fine, cùm tua Bonitas non habeat finem.

22. h. Convenit, quòd tuæ Bonitati, *Domine DEVS*, attribuamus omnem honorem & omnem sapientiam & virtutem; quia, quidquid fecisti in hoc sæculo, fecisti ex intentione alterius sæculi, & propterea est bonum, quidquid fecisti.

23. Si nos simus mali & vitiosi ratione nostrorum operum, non miror, *Domine*, quia habemus primam intentionem in vanitatibus & in delectationibus temporalibus, & secundam in rebus alterius sæculi; & propterea eveniunt nostra opera vilia & mala; quare debemus per ea cognosci viles & culpabiles.

Unde

24. Unde beati magnis benedictionibus sunt, *Domine*, omnes, qui suam primam intentionem habent in rebus perdurabilibus sine ulla corruptione & sine, & sine ulla angustia & indigentia; & maledicti gravibus laboribus sunt omnes, qui habent suam primam intentionem in concupiscendo res finitas & transitorias.

25. i. *O Domine, Lumen, Splendor, & Consolatio confidentium in tuo adjutorio in suis tribulationibus & in suis curis!* Si Tu facias id, quod facis, ut cognoscaris bonus & nobilis, etiam Reges & Principes & homines mundani faciunt id, quod faciunt, ut cognoscantur boni & nobiles, & in hoc expendunt suos dies, & dissipant suos populos & suas divitias.

26. Et quando consumpserunt hoc, quod eis commendaisti, & expenderunt suos dies, & veniunt ad mortem, inveniunt suas manus vacuas bonis operibus, & inveniunt se derelictos à Domino & ab amicis, & post mortem desiderant non esse in *esse*.

Valde

27. Valde magnum mirum est, *Domine*, quomodo homines amatores mundi possint tantum operari & negotiari in rebus finitis & transitoriis, cum cognoscant sua opera esse finita, & ea, quæ faciunt, eis esse causam, quòd sint mali & servi perdurabilium poenarum.

28. *k.* Cum tua divina Substantia, *Domine DEVS*, sit tota perfecta in Bonitate, & quidquid creasti & fecisti & dixisti sit bonum; igitur, quidquid est in Te, est bonum, & quidquid venit per Te & à Te, est bonum.

29. *O Domine!* Cum sis adeò supremus in Bonitate, precor Te, ut velis habere bonos & legales servos, & qui tantum Te ament, quòd amando perveniunt ad mortem pro tuo amore.

30. Unde imposterum tuus subditus, *Domine*, non estimabit se bonum nec felicem, quousque se videat mori pro laude sui Creatoris & sui Domini & sui Amatoris, & quousque confitendo tuam Bonitatem occidi se videat ad honorem sui DEI.

CAPUT XXIX.

*QUOMODO OMNE BONUM,
quod est in homine, veniat à divina
Bonitate.*

1. **O** *DEVS gloriose Domine!* Benedi-
a. **O** *cta* sit tua magna Bonitas; quia,
sicut calor, qui est rebus causa, quòd
sint calidæ, est in majori quantitate ca-
liditatis, quàm res, quæ per ipsum sunt
calidæ, ita tua Bonitas, quæ est nobis
causa, quòd simus boni, est magis verè
bona, quàm nos.
2. *mod* Tam nobilis & virtuosa est, *Do-*
mine, tua magna Bonitas, quòd conve-
niens sit, omnia bona existentia in ho-
minibus esse in ea & venire ab ea, & in
nulla alia re esse, nisi in ea.
3. Sicut tua benedicta Essentia, *Do-*
mine, concludit & comprehendit omnia
intra se ipsam, ita convenit, quòd quæ-
cunque bona sunt & erunt, comprehen-
dantur & concludantur à tua magna
Bonitate.

4. b. *Domine perdurabilis, plene Misericordiâ & Gratiâ!* Sicut pertinet ad tuam magnam Bonitatem, quòd bona, quæ sunt in nobis, non veniant, nisi à Te; ita pertinet ad ipsa, quòd non veniant ab ulla re deficiente in virtutibus, nec ab ulla re habente vitia.

5. Sed nos, *Domine*, hoc discognoscimus & ignoramus, quia nobis videtur bona temporalia esse in *esse*, & in nobis ratione nostræ bonitatis, & secundum hoc appetiamus & amamus illa, de quibus nobis veniunt divitiæ & honores & delectationes in hoc mundo.

6. Unde hoc est, *Domine*, valde magnus defectus noster, quòd bonas reputemus illas res, quæ nobis sunt occasio peccati & ingratitude.

7. c. *O Honorate Domine, vere, dulcis & suavis!* Cùm tota bonitas, quam habemus, veniat à Te, & sit in Te, convenit, quòd nostrum bonum non inquiramus in alio, nisi in Te; nam in Te est omne id, quo indigemus, & est impossibile, quòd ea, quæ nobis sunt necessaria, inveniamus in alio, nisi in Te.

Igitur

8. Igitur, *Domine DEVS*, quoniam omnia nostra bona sunt in Te, est rationabile, quòd Te solùm amemus & honoremus & laudemus & timeamus, & Tibi soli serviamus; quia, si aliam rem amamus, in vanum eam amamus, & si alteri servimus, in vanum ei servimus, cùm inde nobis nulla utilitas possit venire.

9. *O DEVS amorose, Domine plene Virtute & Gratiâ!* Quoniam Tu es, in quo est omne nostrum bonum & omnis noster thesaurus, justum est, quòd renuntiemus omni alteri Dominio, nisi tuo, & quòd à nullo alio speremus habere succursum nec adiutorium in nostris necessitatibus, nisi à Te.

10. d. *O Domine DEVS, qui edificasti mundum, & quidquid est in eo, ordinasti ad serviendum Tibi!* Quoniam omne nostrum bonum est in tua Bonitate, & tua Bonitas est perpetua, & incommutabilis, est rationabile, quòd benedicas & latifices & dirigas nos, ut simus tui amatores & tui servi.

11. Omnis beatitudo bonorum, in
qui-

quibus beatificamur, venit, *Domine*, à tua magna Bonitate, quæ Te facit amatorem nostrorum bonorum; quoniam amor, quem habes erga nos, est nobis causa, quòd simus boni ratione bonitatis, quam nobis das.

12. *Excellentis Domine alti & mirabilis Domini!* Quoniam tua Bonitas est adeò magna, quis posset æstimare magna bona, quæ derivantur ab ea? & quis posset æstimare magnam Voluntatem, quam habes, ut simus boni? Convenit, quòd omnis homo cogitans in hoc, si habeat aliquam displicentiam aut tristitiam, expellat eam à se totam, & lætanter gaudeat in tua honorata Bonitate.

13. c. *O Domine, Rex potens super omnes fortitudines!* Si homo debet habere suum cor & suam mentem, ubi est plùs de suo thesauro, est rationabile, quòd habeamus nostrum cor & nostram mentem in tua Bonitate plùs, quàm in ulla alia re; quoniam ipsa est totum nostrum capitale, & totus noster thesaurus, & non possumus recipere vitam ab alia re, nisi à tua Bonitate.

Igitur

14. Igitur valde magna vilitas & valde magna paupertas sapientiæ est, *Domine*, cogitare & contemplari in ulla alia re, nisi in tua Bonitate.

15. *O Domine!* Bene cognosco vilitatem & paupertatem iudicii esse in me; quia multoties cogitavi in istis vanis delectationibus, & pluries amavi peccatum, quàm tuam Bonitatem, quæ est noster supremus thesaurus, à quo desumitur vita perdurabilis.

16. f. Valde magna est nostra stupiditas & stultitia & ignorantia, *Domine DEVS*; quia reputamus bonum id, quòd est nobis malum & labor & occasio perdurabilis mortis.

17. Quoniam nos quærimus nostrum bonum in palatiis & in plateis & in pulvere hujus mundi, & putamus illud invenire in locis, in quibus nunquam fuit, nec est, nec erit.

18. Et, quia quærimus nostrum bonum, *Domine*, ubi non debemus ipsum quærere, & ubi non possumus ipsum invenire, propterea invenimus in illis locis, in quibus illud quærimus, famem &

fitim & dolores & ignominias & confu-
siones & labores & mortem ; & omnia
contraria nostro bono invenimus in re-
bus mundanis, quando in eis putamus
invenire nostra bona.

19. g. *Benedicta sit, Domine, tua ma-
gna Bonitas!* Quia omne nostrum bo-
num est in ea, & nihil eorum, quæ sunt
contraria nostro bono, est in ipsa.

20. Unde, quia omne nostrum bo-
num, *Domine*, est in tua Bonitate, & ni-
hil mali est in ea, convenit, quòd om-
nis Gloria & omnis Virtus & omnis No-
bilitas attribuatur ipsi, & nostræ mali-
tiæ attribuatur omnis paupertas & om-
nis vilitas & omnis miseria.

21. Unde, cum Tibi, *Domine DEVS*,
debeat attribui omnis Nobilitas, & no-
bis omnis vilitas, valde magnum mirum
est, quomodo possimus tantum amare
nosmetipsos, & quomodo possimus esse
ita vari-gloriosi; quoniam conducimus
gentes, ut dent laudes de nobis, & Prin-
cipes faciunt conventus & curias, ut in
eis ordinetur, quomodo ipsi laudentur;
& nec ipsi, *Domine*, nec nos sumus digni

reci-

recipere ullam laudem de nobis ipsis, quia secundum veritatem nihil valeamus.

22. h. *Cælestis Domine, complete omnibus bonis!* Quoniam totum nostrum bonum est in Te, qui te perdit, totum suum capitale & totum suum lucrum, perdit, & nullum bonum ei remanet.

23. Si ita esset, *Domine*, quòd, qui Te perdunt, haberent aliquod bonum in se ipsis, quo possent consolari, & fugere infernales pœnas, non esset magnum mirum, si homo oblivisceretur amare Te & servire Tibi; sed, quia homo sinè Te non potest habere ullum consilium, infelicem & infortunatum se æstimare potest, qui Te perdit, quia perdendo Te inveniet labores & dolores sinè fine.

24. Veruntamen ego, *Domine*, sum ex illis, qui multo tempore Te perdiderunt per meam culpam: quapropter nunc dico meæ animæ, ut caveat sibi, ne Te perdat in tempore, post quod non poterit Te recuperare, nec poterit ullum lucrum facere; quia, si in illo tempore Te perdat, non amplius Te poterit invenire.

25. i. O Domine DEVS, qui cogis & destruis & confundis homines superbos & vani-gloriosos! Placeat Tibi audire confessionem tui servi, qui Tibi confitetur, dicens: se esse causam & subiectum omnium malorum & omnium defectuum, & Te esse subiectum, in quo est omnis Bonitas, & omnis Causa boni.

26. Si Tu, Domine, habeas Pietatem de me, & velis in me ponere ullum bonum, precor Te, ne ipsum commendes mihi ipsi, sed custodias & salves illud in me per tuam Bonitatem & per tuam Pietatem; quia, si mihi illud commendes, statim perderetur & deleretur.

27. Quia tot sunt vitia & mala & peccata & defectus, quæ in me sunt congregata, & cum quibus me associavi in hoc misero sæculo, quòd non sit ullum bonum, quod in me posset manere, nisi Tu, Domine, illud reciperes in tuam custodiam.

28. k. O Domine Formator Cæli & terre! Tua excellens Bonitas ametur & honoretur, quia tam firmiter stat nostrum bonum in ea, quòd non sit ulla res po-


tens

tens ipsum extrahere nec mutare nec eripere ab ipsa.

29. Cùm bona temporalia, *Domine*, sint transitoria & instabilia, Bonitas hujus mundi non debet multùm amari nec desiderari, imò debet tradi oblivioni.

30 Tuus servus, *Domine DEVS*, se Tibi commendat & dat, & agit Tibi gratias, quia ei dedisti gratiam ducendi ad perfectionem *Primum Librum*; & confidit in Te, ut ei facias gratiam ducendi ad finem alios Libros ad honorem Tuû, *Domine DEVS.*

FINIS LIBRI I.



INDEX

TITULORUM TOMI I;

Prologus fol. 1.

VOLUMEN I.

LIBER I.

DISTINCTIO I.

De Lætitia.

- CAP. 1. Quomodò? Homo debeat lætari
quia DEUS est in *esse*. fol. 8.
2. Quomodò Homo debeat lætari,
quia ipse est in *esse*. 16.
3. Quomodò Homo debeat lætari,
de *esse* sui proximi. 24.

DISTINCTIO II.

De Infinitate divina.

4. Quomodò DEUS sit infinitus in
sua

- sua Effentia. fol. 31.
 CAP. 5. Quomodo Homo sit fini-
 tus. 38.

DISTINCTIO III.

De Æternitate divina.

6. Quomodo DEUS sit finè prin-
 cipio. 46.
 7. Quomodo Æternitas divina sit
 finè fine. 55.

DISTINCTIO IV.

De Vnitate divina.

8. Quomodo unus DEUS tantum
 sit in *esse*. 63.
 9. Quomodo divina Effentia sit
 una Substantia tantum. 72.
 10. Quomodo mundus non sit cre-
 atus nec factus nisi ab uno Cre-
 atore tantum. 79.

DISTINCTIO V.

De Trinitate divina.

- CAP. 11. Quomodo divina Substantia sit tres Personæ. 88.
12. Quomodo tres Personæ sint una Substantia divina. 99.
13. Quomodo divina Trinitas sit unum in Essentia, quamvis in DEO dicantur multa. 108.

DISTINCTIO VI.

De Potestate divina.

14. Quomodo DEUS sit potens in Essentia. 116.
15. Quomodo divina Potestas cogat & constringat cursum naturæ. 124.
16. Quomodo DEUS habeat Potestatem resuscitandi mortuos. 133.
17. Quomodo DEUS sit potens dare salvationem vel damnationem. 141.

nationem quibuscunque ve-
lit. fol. 145.

CAP. 18. Quomodo DEUS sit potens fa-
cere omnia, quoniam habeat
rationem. 154.

DISTINCTIO VII.

De divina Scientia.

19. Quomodo DEUS sit sciens in
sua Effentia. 165.
20. Quomodo DEUS sciat omnia
quæ sunt & quid sunt. 174.
21. Quomodo DEUS sciat, quid-
quid faciant creaturæ. 184.
22. Quomodo DEUS sciat quanti-
tatem omnium rerum. 193.

DISTINCTIO. VIII.

De Veritate divina.

23. Quomodo DEUS sit Veri-
tas. 201.
24. Quomodo opera DEI sint in
Veritate. 211.

CAP.

INDEX

271

- CAP. 25. Quomodo DEUS voluerit,
quod Veritas sit via salva-
tionis. 221.
26. Quomodo vivere in Gloria sit
vera vita. 229.

DISTINCTIO IX.

De divina Bonitate.

27. Quomodo divina Essentia sit
suprema Bonitas. 238.
28. Quomodo DEUS sit bonus in
suis operibus. 248.
29. Quomodo omne bonum, quod
est in homine veniat à divina
Bonitate. 257.

470
MIND EX
CAP. 21. Orono...
...
...
...
...
...

DISTINTO

De ...

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

NOTITIA

MATERIARUM,

QUÆ IN SEQUENTIBVS TOMIS

PER VARIA CAPITA
tractantur.

LIBER II.

- DIST. X. *De Creatione, per octo Capita.*
- DIST. XI. *De Ordinatione divina, per vigintiduo Capita.*
- DIST. XII. *Quomodo DEVS recreaverit humanam naturam, per tria Capita.*
- DIST. XIII. *De Voluntate divina, per tria Capita.*
- DIST. XIV. *De divino Dominio, per tria Capita.*

DIST. XV.

De divina Sapientia, per tria Capita.

DIST. XVI.

De divina Justitia, per sex Capita.

DIST. XVII.

De Largitate nostri Domini DEI, per quinque Capita.

DIST. XVIII.

De Adjutorio quod noster Dominus DEVS facit hominibus, per quatuor Capita.

DIST. XIX.

De Humilitate quæ est in nostro Domino DEO, per sex Capita.

DIST. XX.

De magna Misericordia divina, per quatuor Capita.

DIST. XXI.

De Gloria paradisi, per tria Capita.

DIST. XXII.

De Perfectione Domini nostri DEI, per tria Capita.

VOLUMEN II.

LIBER III.

- DIST. XXIII. *De Visu*, per vigintiduo
Capita.
- DIST. XXIV. *De Auditu*, per tria
Capita.
- DIST. XXV. *De Odoratu*, per unum
Caput.
- DIST. XXVI. *De Gustu*, per unum
Caput.
- DIST. XXVII. *De Tactu*, per decem &
novem Capita.
- DIST. XXVIII. *De Cogitatione*, per
viginti Capita.
- DIST. XXIX. *De Perceptione*, per
triginta & octo Capita.
- DIST. XXX. *De Conscientia*, per
septem Capita.
- DIST. XXXI. *De Subtilitate*, per sex
Capita.
- DIST. XXXII. *De Animofitate vel Fer-
vore*, per septem Ca-
pita.

VOLUMEN III.

LIBER III.

Arbor prima.

DIST. XXXIII. *De Arbore ESSE, Necessitatis, & Privationis, per tria Capita.*

Arbor secunda.

DIST. XXXIV. *De Arbore Sensualitatum, & Intellectualitatum, per quatuor Capita.*

Arbor tertia.

DIST. XXXV. *De Arbore Qualitatum, & Significationum, per quatuor Capita.*

Arbor quarta.

DIST. XXXVI. *De Arbore Fidei & Rationis in figura Sanctae Crucis, per decem & septem Capita.*

Arbor quinta.

DIST. XXXVII. *De Arbore decem Mandatorum, per decem Capita.*

Arbor sexta.

DIST. XXXVIII. *De Prædestinatione, per quatuor Capita.*

LIBER V.

DIST. XXXIX. *De Amore, per quadraginta sex Capita.*

DIST. XL. *De Oratione, per quinquaginta duo Capita.*

PRIMA PARS.

De Bonitate hujus Libri.

SECUNDA PARS.

De modo discendi, & docendi
istum Librum.

TERTIA PARS.

De modo Contemplationis in
hoc Libro.

QUARTA PARS.

De gratiarum actionibus, quas DEO
facimus pro hoc Libro Con-
templationis.

FINIS.

8
8133



B.R.L.

Lib. Con.

Tom. 1?

DIGITALIZ +

R. Lull 695

guises

R. LULL
695